Stratagematum satanae libri octo / [Iacopo Aconcio].

Contributors

Aconcio, Iacopo, -1566.

Publication/Creation

Oxford : For W. Webb, 1631.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/wt32mums

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

81
19 (1) Col 1+
A 2 D
3

N IV C
16

STC 93

59186

RELI GIONIS
STRATAGEMATVM
SATANÆ
Libri Octo
Quos
IACOBUS ACONTIUS
Vir Summi iudicij nec minoris pietatis, annis abhinc pene 70
primum edidit & Sereniss.
Reginæ ELIZABETHÆ
inscripsit
Editio iterata & emendata
Seruate unitatem Spiritus
in uinculo pacis
OXONII
VERITAS
CHARITAS
Superbia
Error
hæresis
Odium
Calumnia
Schisma
Sumtib⁹ Gulielmi Webb
Bibliopolæ Anno
M DC XXXI

DIVÆ

ELISABETHÆ ANGLIÆ, FRANCIÆ, HIBERNIÆ REGINÆ: NON TAM REGII FASTIGII AMPLITVDINE, QVAM PRÆSTANTISSIMIS MORIBVS INSIGNI LITERARVM, MVLTARVMQVE LINGVARVM SCIENTIA, ET ALIIS ELEGANTISSIMIS ANIMI CORPORISQVE DOTIBVS AD MIRACVLVMVSQVE ORNATISSIMÆ, IACOBVS ACONTIVS, IN SIGNVM MEMORIAMQVE GRATI ANIMI, OB PARTVM EIVS LIBERALITATE, QVVM IN ANGLIAM PROPTER EVANGELICÆ VERITATIS PROFESSIONEM EXTORRIS APPVLISSET, HVMANISSIMEQVE EXCEPTVS ESSET, LITERARIVM OCIVM, HOSCE OCTO SATANÆ STRATAGEMATVM LIBROS DICAT, CONSECRATQVE.

* * * *
* * *

IACOBI ACONTII IN SATANÆ STRATAgemata,

PRÆFATIO.

SI quis forte miratur quẽquam tanta extitisse audacia, vel sane temeritate (si ita malit dicere) vt Satanæ investigandis colligendisq; stratagematibus, eaque literis mandãdis, Oceanum se posse sperauerit exhaurire: eum ego considerare parumper secum velim, an quanto huius veteratoris plures sunt artes, magisque variæ, & abstrusæ, non tanto etiam cauendum ab illo nobis sit magis? Fateatur opinor, at verò qui caueas obsecro, artibus illis non

cognitis? An non timendum erat, ne vbi nihil esse putares periculi, ibi esset plurimum? Quà optime cavere te ab eo opinareris, eâ potissimum occultum aliquod incideres in laqueum? quod ipsum vtinam non nimium multis, nimisque sæpe contingeret: neque sane ineptus tantum quibusdam, sed & præstantissimis quibusque in Dei ecclesia viris. Quod si cauendum nobis erat: neque id fieri absque hac cogitatione poterat: tentandum profecto fuit, vtrum ea capi ratione posset vltro, rogandus fuit Deus (cui nihil sit non facillimum in eo nobis ne deesset, quod cum persæpe à nobis factum sit, speramus minime frustra factum fuisse: quin potius fore vt optimi quique Deo nobiscum maxi-

mas

mas agant gratias: quod & iniecerit nobis cogitationem hanc, et propitius cœptis nostris fauerit. Illud me diu multumque torsit: nam quantum in ijs sit positum, qui authoritate eminent in ecclesiis, nemo non intelligit: vt si ij stent, omnia bene se habere oporteat: si cadant, eorum ruina propemodum omnes comprehendat, quo fit vt eos fere vnos petat satanas, ad eos polluendos, perdendos corrũpendos sũma omnia faciat. Quod si non semper ludit operã: quinimmo aliquos de ijs omnnunquã deportat triumphos, quibus id assequatur stratagematibus demonstrari, quin eadem opera devictorum indicentur lapsus non potest, quod ipsum quam plenum sit invidiæ, cogitare omnes possunt, nam homini

quidem cum semper iniucunda est omnis reprehensio: tum vero acerba contingit, si sit insolens, præterque expectationem. Quid autem fieri possit insolentius, atque expectatum minus, quam si eos reprehendas quos mirentur, maximeque venerantur optimi quique: & quorum esse videatur non accipere, sed dare leges: non discere a quoquam, sed docere omnes? Immo vero (inquies) si quos eis ostenderis lapsus qua sunt humanitate ac prudentia) gratias addent etiam, & magnas: tantum abest, vt inde offensionem sint vllam accepturi, ita equidem spero facturos, sed tamen non tam sæpe in mentem venit, quid sit negocij, homines tanta authoritate, tantoque nomine habere infensos. Sed multo

certè plus addunt sollicitudinis hominum nimis importuna quædam studia: qui quos semel mirari cœpernnt, eos iam non hominum, sed Deorum quorundam loco habent: quos si verbo attingas, maledicere Deo ipsi videare. Quid igitur facerem? An invidiæ vitandæ causa non indicarem qui parari illis solerent laquei, non in eorum solum, sed totius Dei ecclesiæ perniciem? Quid fuisset hoc, nisi ipse cum Satana colludere: atque eorum propemodum in perniciem conspirare? Quod igitur reliquum erat, feci, vt lenitate vterer quanta possem maxima, nominibus, peperci: res ipsas tantum, in quibus latere laqueos intelligerim, persequutus sum. Quòd si quis, quæ se quoquo modo

do

do attingunt, si ea reprehendantur, id ad suam interpretetur pertinere iniuriam: in eo quàm justè, quamve honestè sit facturus, ipse viderit. Certè eadem ratione justas pronunciaverit ebriosorum, adulterorum, homicidarum, aliorumq; facinorosorum hominum omnium adversus eos querelas, qui officij sui causa malos hominum mores flagitiaq; insectantur: quo quid fuerit absurdius? Sed quid si digna (inquies) non erant quæ insectaris? Equidem si quid sit ejusmodi, compertum cum id habuero, vehementer me pœniteat. Neq; sanè is ego sum, qui errare me non posse putem. Voluntas certè cujusquam vel apertè, vel tectè lacessendi nulla fuit,

testis

testis mihi estis, quem clam esse nihil potest. Vt condonare id mihi facilè debeat cuicunq; vel tantillum sit Christianæ clementiæ, æquum tamen fuerit: quem attigerint ea quæ tractamus, eum se judicem non facere, sed judicium ijs permittere, ad quos privatim nihil pertineant. Satius autem est multò, nos inter nos alios aliorum notare lapsus, atque emendationem amanter quærere, quàm expectare dum hostes nostri arrepta inde occasione in nos, professionemque nostram virulenti lingua debacchentur. Ridebunt tamen certè Pontificij, si quorum hæc in manus venerint, dum nostra detegimus vulnera. Sed præstat eos ridere vulnera, ex quibus convalescere adhuc possumus, quàm

vt

vt ſinamus ea nullo adhibito remedio exulcerari, ac reddi prorſus immedicabilia: itaq; fiat vt tandem etiam noſtrum rideant interitum, tantum hoc illis dictum volo, cum ſua ipſi mala ſatis deploraverint: quin noſtris ridendis animum exhilarent, me non deprecari. Evolvant veteres hiſtorias, ac videant quo tempore tam preclarè cum Dei eccleſia actum fuerit: quin multa eſſent quæ optimus quiſq; ingemiſceret: quod ſi ita eſt, quid mirãtur, ne nos quidem omni ex parte ſanos eſſe? Sed rideant qui volunt.: nos demus operam, vt ſublata omni (ſi fieri poteſt) juſtæ reprehenſionis materia non tam eorum compeſcamus cachinnos, quàm optimis eo exemplis nobiſcum invitemus ad

Chriſtum

Christum. Ac quo minus tamen vereare vllam te hîc acerbitatem styli offensurum. scito nihil æquè nos quærere hoc toto nostro opere: quàm vt ad summam lenitatem mansuetudinemque adducamus eos quibus tum verbo tum scripto in ecclesia quicquam tractandum fuerit. Quàm fuisset autem indecorum, atq; adeò iniquum, quod ius in alios statuissem, eodem me non vti? Vt meritò mihi obijci possit illud, Medice, cura teipsum. Sed ad rem quod attinet, quibus stratagematibus perpetuò satanas Christi Regno insidiatur, vt evertat deleatq; illud, neq; restaurari possit, vtq; suum quoddam constituat, tueaturq;: ea tibi Lector, hic exhibemus si non omnia (quî enim potuissemus?)

non

non dubito equidem quin saltem summa quæque, & quo (mirari ne an latari dicam) magis possis: ordine ac methodo comprehensa tali, vt eorum artem quandam habiturus sis. Addidimus ad ea declinanda cautiones: ac nisi me animus fallit ejusmodi: vt (nisi quis eas contempserit) quicquid moliatur satanas, optima deinceps esse possit spe, fore vt operam ludat. Alicubi fortè cum ex ipsa contrarij ratione satis videretur per se cautio conspicua, pepercimus non necessario labore. Omnino autem quædam nullis illustrata exemplis nonnihil habere obscuritatis videantur: quæ quidem exempla propterea prætermisimus, quod quæ ad manum erant, ea vsurpari sine aliquorum non posse offensione

ne viderentur, quod (ne inutilis apud eos noster esset labor) vitandum erat, alicubi fingere exempla promptum non fuit, alicubi etsi fuisset, verebamur ne novis occasionem præberent litibus. Quod vtinam satis adhue vitare potuerimus. Sed si sæpius, si attentè legeris: nihil erit quod non tandem vel sine vllis exemplis assequare. Non deerunt qui hæc paulò fusius copiosiusq; tractari voluissent: neq; sanè immeritò. Quibus tantum illud respondsum volumus, præstitisse nos quod pro tempore potuimus: saltem certè si premere opus diutius voluissemus, paulò limatius exisset. Verùm cum magnopere Christianæ reipublicæ interesse arbitraremur, hæc Stratagemata quamprimùm in lucem exire,

maluimus

maluimus existimationis nostræ rationem habere nullam, quàm editionem vel minimùm differre. Si nos Dominus ocio donaverit aliquo, dabimus operam vt prodeant aliquando minus & jejuna, & incompta: interim hunc quasi abortum Lector optime, boni consule, ac meliora vt nobis Dominus suppeditet, piè nobiscum orato.

SATANÆ STRATAGEMATVM

Liber Primus.

AD Satanæ cognoſcendas artes commodiſſimus ſit aditus: ſi, quis omnium conſiliorum ejus finis ſit, inſpexerimus, atq; is quidem in promptu eſt: ſiquidem ex eo quod dicatur *homicida fuiſſe iam inde ab initio*, quem alium hunc eſſe finem credamus, quàm hominis interitum, & eum quidem ſempiternum? Cum ſit igitur veterator maximus, quicquid ad perniciem facit hominis, id eum moliri in dubiis habendum non eſt: quicquid etiam conducere ei poſſit ad ſalutem, ab eo vt avertatur, illum conaturum perinde certum ſit. Eſt autem in eo poſita hominis ſalus, ſi Deo paruerit, interitus, ſi contra fecerit. *Si vita potiri vis* (ait Dominus) *mandatis obtemperato.* Accipimus autem hic divini mandati, ſive divinæ legis nomine, quicquid non modo facere, aut vitare, ſed etiã perſuaſum habere jubeamur. Ex quo eſt cõſequens, illud ſibi propoſitum habere ſatanam, ne nos divinæ pareamus legi. Ac vio-

lare quidem legem possit, & cui cognita sit lex, & cui non sit cognita, tametsi enim gravis multò delinquitis, qui cum Dei cognitam habeat voluntatem, ei non obtemperat, quàm qui per ignorantiam id facit, nō tamen prorsus insontem quenquam fecerit ignoratio, vix enim est vt ignorantiæ non aliqua in homine insit culpa. Sed duo quidē hæc: divinæ legis ignoratio, & in eandē cōtumacia adeò sunt inter se juncta, vt alterū alterius quodāmodo sit causa. Nā qd Dei ignores voluntatem, fit vt contrà ac velit, facias, ratus etiam persæpe te gratissimā ei rem facturū, ex quo ejus incurras iram: qua fiat inter alia, vt recti judicii lumine priveris omni: vtq; densioribus indies obruaris tenebris. Si legem teneas, nec obtēperes; fiet justissimo Dei judicio, vt ab ejus cognitione excidas: magnosq; aliquos in errores delabare. Ac cum is quidem satanæ consiliorum finis sit quem diximus, si quidē cum homine est satanæ negotium, eum vt perdat: quo illa assequamur cōsilia facilius hominis diligenter consideranda est natura. Etsi homo initio ita conditus est, vt naturam obtinuerit bonam, rectā, omnibusq; numeris absolutam, tamen Dei violato interdicto excidit ab ea natura in aliā priori omnino contrariam, corruptissimam videlicet:

licet,ac nulli non vitio obnoxiã. Atq; hinc quidẽ eſt, primùm, quòd ſe ipſe præter modum amet: ſed amore quodã cæco, atq; intemperanti: quo adductus à ſuo vero bono abhorret: quod autem ei malum eſt, ſectatur, vt fidem adhibuerunt primi parẽtes ſerpenti, quum dixit: *Quamprimum pomũ hoc guſtaveritis, eritis quaſi dii, boni ac mali præditi ſcientia*, ita hæſit in humano genere ea perſuaſio, vt ſibi quiſq; quaſi deus quidam videatur. Id quod oblata occaſione aliqua extemplo præſe fert. Etenim quã primùm ad dignitatẽ aliquam ampliorem ve fortunam eſt evectus, arbitratur quemlibet ſibi omnia debere, vt ejus etiam incõmodo ſuis inſerviat commodis: vt ſe veneretur, vt colat, & ſe jure optimo quolibet vti poſſe, ejuſq; rebus omnib. pro animi ſui libidine, ſi quid adipiſcatur eruditionis, illico ſibi videtur ſcire omnia, & ſolus ſcire, vt vniverſus terrarum orbis ejus gubernari debeat ſapientia. Atq; vt talis de eo ſit opinio, nihil nó faciet, neq; ſanè intelligere poterit, ſe in eo minus rectè facere: aut ſi intelligat, non multum curaverit. Explendis corporis voluptatibus mirè eſt deditus, circaq; res eas ſumma vtitur intemperantia. Amat vitam hanc, atque ad eam ſuas omnes cõfert cogitationes, de altera ne cogitat

quidē. Hanc vitam æternùm duraturā somniat, atq; vt cadant quotidie ante oculos multa hominum millia, nunquam ferìò assequi possis te eadem conditione natum, vt moriendum tibi sit aliquando, quoniamq;; quicquid vsquam cupias, id opib. videtur comparari posse, opesq; desideriis explendis consumuntur, tum autem quæ infinitos consumas tempore, eorum infinito quodāmodo opus esse numero videatur, fit vt cumulandarum opum insatiabilis quædam sit cupido: vt Alexandro Magno tum propter hoc ipsum, tum propter inauditam quandam animi impotentiam peranguſtum videretur vniversi terrarum orbis imperiū. Circa Dei ejusq; voluntatis cognitionem, nec nó circa cognitionem sui veri boni ac mali, quod totum in Dei aut gratia aut offensione est positum: omnino cæcus est, sed sibi quidē oculatissimus videtur. Veritati hoc in genere assentiri, erroresq; abjicere tam repugnat ejus naturæ, quàm gravi cuiq; rei, vt alta petat: non quia verum vt verum odio habeat, aut falso vti falso delectetur, sed potius propterea quod iis in rebus corrupto vtatur judicio, vt falsa pro veris, vera pro falsis accipiat. Atq; vt ipse affectus est, neq;; tamen se esse intelligit, ita esse Deum opinatur: ac tanquam ita affectum colere vult

auro,

auro,argento,magni precii lapillis,gẽmisq; magnis sumptuosisq; ædificiis,ac rebus etiam nonnunquam ejusmodi, vt si homo hominem honore ijs afficere voluerit, rideri alter,contumeliaq; affici sibi videatur. Visibilem eum habere vult,propterea q; eũ sibi fingit pro animi sui libidine.Persuadere sibi serio non potest,humana Deum aut scire, aut curare,aut moderari,præmia daturum, aut sumpturum pœnas: quo fit vt à perpetrandis iis,quæ ad ejus pertinere offensionem dicuntur:neq; pietate erga Deum,neque pœnæ metu abducatur. Adhæc in se quisq; cernendum,oculos non habet vt videat in altero,oculis est lynceis, quæ ad alterum pertinent,facilè malam in partẽ interpretatur,maximeq; suspitiosus est: sed si semel incipiat homo homini deferre (in iis præsertim quæ divinas res attingunt) omnes in eo transgreditur rectæ rationis metas,vultq; ex eo Deum sibi quendam facere:alioqui sibi soli bene esse vult, solus vult gloria excellere: itaq; si quid alteri accesserit vel commodi vel laudis,invidet, impedit,si potest,ne fiat accessio, alterius laudes extenuat,lapsus extollit,calũniatur: si quis ei re vlla paululum resistat, ad iram, & odia valde est proclivis, neque facilè deponere offensiones potest: quinimmò exacuit sese

magis ac magis ad ſanguinem, ad pernicie, ad immane quodq; vindictæ genus. Ita eſt homo ſua natura ſupra modum arrogans, elato animo, intemperans, avarus, inſatiabilis, alieni cupidus, ſupplantator, mendax, contentioſus, invidus, vindictæ cupidus, homicida, cæcus, præceps, præfractus, impius, atq; ad omne facinus natus. Vt in ſummam contraham, hominis natura (corrupta videlicet ea qua vtimur) ab impurorum natura dæmonum parum eſt abſimilis. Verum tamen eſt, quæ diximus, quæq; addere adhuc potuiſſemus, non ex æquo cerni in omnibus, appareat enim alia in aliis magis, quòd deſit aut facultas, aut opportunitas, fit quædam vitia ne emergant. Multum habent momenti corporis conſtitutio, educatio, conſuetudo, ſtudia, nec non alia id genus multa: quæ tum procliviorem reddũt ad vitia, tum abducunt ab ijs hominem, ſed nemo eſt tamen in quo non vitiorum omnium ſint ſemina. Tametſi quædam reliqua ſunt adhuc prioris naturæ in homine veſtigia, vt obſcura quędam juſti atq; injuſti, honeſti & inhoneſti cognitio: & quòd benefactis præmia, malefactis ſupplicia debeãtur, videtur ad ſciendi cognoſcẽdiq; cupiditatem natus. Ineſt in eo vis quædam à rebus ſenſu perceptis ad eorum cognitionẽ perveniendi

veniendi quæ ſenſu percipi non poſſunt: adeò vt induſtria ejuſmodi attollat ſeſe ad neſcio quam etiam divinæ naturæ cognitionem. Aliquam habet alterius vitæ ſuſpitionem, quæ vita æternum duratura ſit: bonis quidem beata, malis autẽ ærumnis cruciatibuſq; plena: argumento ſunt poetarũ fabulæ, quorum cum ad vulgi opiniones accommodata ſit oratio, exemplis eò pertinentibus refertæ ſunt. Cum infirma hac alterius vitæ opinione conjunctum eſt etiam aliquod ſalutis deſiderium, quo ſanè deſiderio adductus rationes quærit concilianda ſibi divinæ voluntatis, Deiq; colendi. Sed iſtæ quidem boni ſenſus reliquiæ, tanta ac tam multiplici depravatæ naturæ vi opprimuntur, vt in pleriſq; omnino evaneſcant, in nonnullis etiam magnopere naturæ vitio reluctãtur, vt in Socrate, Seneca, atq; aliis aliquot videre eſt: ſed nunquã tamen ea tanta eſt vis, vt, niſi divina ope adjuta, ad ſalutem momenti habere quicquam poſſit. Quinimmò tandem videtur denſiores hominem perducere in tenebras. Illud autem malè habet ſatanam, quòd cum Deus pro ſumma ſua bonitate humanum genus magno proſequatur amore, ſubinde ſeruos ſibi deligat ex ipſo hominum genere, quos ſuæ legis agnitione donet, mittatq; ad populos

instituendos. Sed cum hominis ea sit qua m posuimus natura, quem satanæ consiliis om nibus propositum esse finem diximus, quæ via sit ad eum finem perveniendi, sequitur vt indagandum esse videatur.

Omnino duo sunt status: quorũ in alte ro necesse est semper populum esse: aut e nim in veritatis luce versatur, aut errorum ignorantiæq; circumfusus est tenebris. Ne que vero tantum vnquam esse lucis intel ligimus, vt non aliquæ restent errorum ne bulæ: quod ideo monendum fuit, ne si cum de lucis tempore ageremus, aliqua fieret erroris mentio, alieno fieri loco videretur. Quum fruitur autem populus veritatis lu ce: tenebras conatur satanas offundere: quòd si tenebrę fuerint, eę perpetuo vt ma neant, enititur. Atq; in ignorantiæ quidem tenebris versari possit quis, vel si religionẽ nullã colat: vel si falsam, corruptamq;. Rur sus etiam sine religione esse potest: & qui ne auditione quidem quicquam audierit: vnquam quod religionem attingat, neque cogitaverit de ea, & qui persuasus sit religio nem nullam esse: quod in numero sunt ea hominũ monstra: qui aut negant Deũ om nino esse, aut negant eum humanas res cu rare. Aliquem autem esse vnquam populũ tam ferum, in quo ne vlla quidẽ cogitatio

sit

sit de Deo: vix credibile videtur, sed nunquam non esse aliquem perditorum hominum numerum qui persuasum habeant inanem esse de Deo, ineptamq; cogitationem: certius est, quã vt probatione opus sit, hisce quasi mancipijs vtitur satanas ad immaniſſima quæq; facinora perpetrandum.

Sed vbi semel in populo aliquo vera piaq; religionis doctrina extiterit, vt rursus ab ea in errores delabatur, mutatio fiat sẽtentiarum necesse est. Mutationem porrò fieri aut animadvertit populus, aut nõ animadvertit. Si quidẽ animadvertit: vt ab ea deficiat doctrina quã probabat, ad aliã quã piã falsã, atq; impiã: causa existat oportet aliqua, propter quã illa fiat mutatio. Ac causæ quidẽ quãobrem mutatio fit verarũ de religione opinionũ in falsas, sunt falsa argumenta, motus animorum, vt cupiditas, ira odiũ, bona de ijs qui perperã sentiunt, opinio: & de ijs qui vera docent, mala, ac mendacia signa, seu prodigia. Falsa quidẽ argumenta intelligimus, ex quibus falsum quoquomodo efficitur, quod pluribus accidit modis, nam aut falsa omnia sumuntur: vt quum ita colligunt: Missam (quam vocãt) retinendam esse propterea quod Romana Ecclesia iam inde ab Apostolorum temporibus eam in vsu habuerit: & omnia quæ in

Romanæ

Romanæ Eccleſiæ vſu diu fuerunt, retinenda ſint. Aut ex parte verum, & ex parte falſum ſumitur: quod fit, quum ita colligunt: propterea quod Apoſtolorum inſtituta ſervanda ſint (quod verum eſt) & peccatorum in ſacerdotis aurem enumeratio Apoſtolorum fuerit inſtitutũ (quod eſt falſum) peccata ſic enumerandi conſuetudinẽ ſervandam eſſe. Aliàs vera illa quidẽ ſunt quę ſumuntur: ſed quæ ad rem nihil faciunt, vt ſi ita dixeris: Retinendã eſſe ciborum differentiam ad Rom. Eccleſiæ præſcriptum: quia minus nutriant piſces, olera, & alia id genus, quàm carnes, atq; oua. Aliàs eiuſmodi ſunt argumenta, vt tametſi effici aliquid videatur: nihil efficiatur tamẽ, qualia videlicet ſophiſtarum ſunt argumenta. Exemplũ ſit illud: Non licet Chriſtiano homini ſororem in vxorem ducere, at quælibet Chriſtiana fœmina ſoror eſt, non licet igitur Chriſtiano Chriſtianam ducere. Animorum verò motus qui mutationi opinionum â veris in falſas cauſam præbere poſſint, ſunt diuerſi: quorum alij ad eos referuntur qui vera profitentur, alij ad eos qui profitentur falſa: alij deniq; reſpiciunt doctrinam, tum veram, tum falſam. In verã doctrinam ſuſcipi poteſt odiũ, propterea videlicet quòd accuſet hominem: vetetq; ea quorum tene

tur

tur cupiditate: & ea imperet quę invitus faciat. Quã enim doctrinam odio habueris, ab ea facilè desilieris. Erga falsam doctrinã autem esse potest amor: propterea quod ad voluptates liberiores sinat habenas. De veri quidem professoribus malam gignit opinionem: si videantur ipsimet parùm credere quæ docent, quod fit, si verbis repugnet vita: & si magis ad commoda, suasq; rationes respicere videantur, quàm vero religionis teneri studio. Multum etiam adimit ijs fidei: si videatur eorum causam Deus patũ probare calamitatibus afflictionibusq; eos premens, quod tamẽ apud eos tantum accidit qui res suo metiuntur judicio: nõ normis divinitùs traditis. Falsæ doctrinæ professoribus bonã conciliant opinionem cõtraria. Falsa porrò signa sunt, alias quæ falsò narrantur, aliàs quæ cum aut ab hominibus, aut à satana sint conficta, & composita; divinitus edita creduntur.

Quæ autem opiniones mutant, aut cuique sua sponte in mentem veniunt: aut necesse est paucos aliquot seductores esse qui ea cæteris proponant, quod ferè fit, alioqui enim vix accedere vlla insignis posset mutatio. Ac seductores quidem aut publicè adversus receptam doctrinam docẽt, aut clã, & aut repugnante aliquo, aut nemine. Sed

vt

vt palam posset quis nemine repugnãte receptæ doctrinæ contradicere, oporteret in populo nullam prorsus ingeniorum diversitatem esse, quod fieri nõ potest, atq; si potentiores etiã fuerint qui adversantur, quã qui fauent, impedimento erunt seductori, nec dubium quidẽ est: quin, quo tempore est in populo verus dei cultus, si quis falsa serere dogmata conetur, plures adversaturi sint, quã fauturi: nisi fortè pessimè affectus vniversus esset populus: seductorq; maxima ad id vteretur arte, vtpote si prius magnã aliquã sapientię esset, sanctitatisq; opinionem adeptus, aut si eorum abuteretur authoritate, qui tales haberentur, quod olim faciebant ij qui ad ecclesias epistolas afferebant quasi ab apostolis missas, aut alia obtrudebant scripta falsis titulis inscripta: ac tali impostura simplices seducebant. Tale fuit Nicodemi evangelium, & Petri itinerarium, & alia, neq; solũ integra scripta quasi partus non suis supponebantur parentibus, sed depravari etiam veros partus multorũ fuit querela. Sic sunt inter Augustini & aliorum clarissimorum virorum opera supposititia non pauca, & loca multa depravata. Tanta fuit autem quorundam impudentia: vt vel viventibus authoribus, eorum scriptis insererent quæ persuadere cupiebant, id

id quod Origenes ſibi accidiſſe queritur. Alioquin videntur errores initio vix aliter ſpargi poſſe: quam inter paucos, & clàm. Quin & hic intelligere licet: vt poſſit ſeductor quiſpiã paucos aliquod à recepta doctrina clam avertere: valde tamen multos, quin id tandẽ palam fiat, non poſſe, vt quæ mutatio animadvertitur, vix fieri poſſe videatur abſq; controverſiis. Ac qui adverſantur, aut ratione repugnant, aut authoritate: ratione quidẽ, ſi quis verbo aut ſcriptis receptã tueatur doctrinam, & impugnet novam: ſiue argumentationibus ad id vtatur, ſiue teſtimonijs: authoritate autem, ſi ij qui præſunt eccleſiis, aut ipſæ etiã eccleſiæ cõmunibus ſuffragijs novam illam doctrinam ſeu impiam, & Dei verbo repugnantem dãnent: & ſi magiſtratus pœna conſtituta eam doceri aut defendi vetet.

Quemadmodum autem ſi ritè reſiſtatur ſeductoribus, omnia eluduntur ſatanę cõſilia: ita veriſimile eſt admodum, ſatanã huc omnes ſuos dolos, omnem ſuæ verſutiæ ac vafriciei vim conferre: vt quicquid fiat ſibi reſiſtendi cauſa, non ſolum ſua non impediat conſilia: ſed adiuvet etiam, promoveatq; vehementer. Quare operæprecium fuerit, quibuſnam id aſſequatur ſtratagematib. intelligere. Primum igitur ad rationem quod

atti-

attinet, quæ seductoribus obijci solet. quod disputando fit, siue id coram, siue inter absentes fiat: illud certum est, ita demum eam vim habere falso dogmati resistendi: si commodè palàm faciat & infirmitatem fundamentorum eorũ quibus id innititur, & firmitatem eorum quibus nititur recepta doctrina, præterea si ijs quibus cum res est, pacato animo, incorruptoq; iudicio diligenter eam expenderint, nisi ergo & ratio sit ejusmodi: & oratio ad hanc tum animorum tranquillitatem, tum judiciorum (vt ita dicam) sanitatẽ adversarios perducendi vim habuerit: sed potius contraria omnia efficiendi non resistet satanæ: sed favebit mirum in modum. At verò expendere quæ ratio sit ad adversarij ingeniũ, iudiciumq; accómodata: quæue non sit, haud sanè possit quispiam, nisi ipse pacato sit animo, meminerit q; id se expendere, ac diligenter quidem, oportere. Cumq; pacato ad id animo esse oporteat: quænàm turbare animum soleant, latere no debet. Ac ferè quidem fiet, vt commoveare: si privatim tua quid interfit doctrinæ mutationẽ nullã fieri, id quod in omnes eos cadit qui docendi funguntur munere. Nõ enim doctrinę fieri potest mutatio, quin de eorum dignitate existimatio neq;, quasi minus vera docuerint, atq; etiã

de

de commodis decedat plurimùm, facit etiã ipſe doctrinæ amor: vt haud facilè æquo animo ferre contradicentem poſſis, atq; vt ſimilitudo omnis morum, ſtudiorum, opinionumq; ad amorum conciliandum valet plurimum: ita ad odium diſſimilitudo omnis momentum habet, quod ſi ad hæc, probra ab adverſario, criminationeſq; acceſſerint: multo etiam maiore vi moveantur animi oportet.

Neq; ſanè quicquam aptè infirmaveris: niſi antè, quid ſit, intellexeris, at verò qui non attentè, qui non patienter audit, qui non iudiciũ ſuſpendit ad finem vſq; : quid dicatur ſatis aſſequi non poteſt, ſed cum ad primum quodq; verbum divinare ſibi videatur, qd ſibi alter velit: eiuſq; verba ſuo præveniat iudicio: fiet, vt, cũ aliud ille voluerit, aliud hic intellexerit: non adverſarij argumenta confutet: ſed quæ ſua temeritate, fálſaq; interpretatione ipſe ſibi finxerit. Atq; hęc quidem tum accidunt: quum odio habetur adverſarius, & quum irati ei ſumus: ſed maximè ſi eum contemnamus. Contẽptus porrò primaria, ac propemodum vna cauſa eſt: ſi ipſe tibi nimium placeas, ſi nimium arroges ſiue ſcientiæ, ſiue iudicij. Si quod eſt autem vitium, ad quod homo natus videatur: arrogantia eſt, quæ vires atq;

incre-

incrementa colligit varijs ex rebus. Quo in genere primum illud est: si de homine aliquo magna multorum accedere videatur opinio: si pauci aliter sentire se præseferant: ijq; habeãtur ipsi paruo in precio. Cum hoc coniunctum illud est: si quis sibi videatur suæ sapientiæ iudicijq; magnũ iam certũq; specimẽ dedisse, quod accidit ijs qui ex disputationibus victores plerumq; aut semper evadere visi sunt, quiq; ad populum cũ sæpe verba faciant: qui contra dicant rarò habent, aut nunquã, nisi enim magna prudentia caveant, vix fieri potest quin sibi soli sapere videãtur: cæteros autem præ se cõtemnant, ac pro nihilo ducant. Ac notum quidem illud est: Obsequium amicos, veritas odium parit. Quare quoram ea sit fortuna: vt prodesse posse videantur, & obesse: commodare atq; incõmodare: honore afficere, atq; ignominia: ijs non facilè quis cõtradixerit, sed assententur potius quamplurimi. Neq; verò putes, vt assentatores invenias, Romanum te esse pontificem oportere. Nam cum iam sacris literis non ita multi admodum dent operam, præter eos qui ad Ecclesiastica munera animum adiecerũt, magis de ventre magna ex parte, quàm meliore vlla de re solliciti: quorum aut suffragijs aut commendatione ea munera impetrantur

trantur (præcipuæ videlicet authoritatis cuiuſq; Eccleſiæ paſtorum) tametſi alioqui minimè opulenti ſint: ijs tamen haud aliter aſſentari pleroſq; videas: atq; ſi apud Romanum illud Idolum opulentiſſimis inhiarent ſacerdotijs, quid fiat autem, ſi cùm authoritate ad munera promovendi, magnæ vllæ opes coniunctæ ſint? Sed ne illud quidem nihil eſt: quod (quemadmodum nunc quidem multis locis vſus fert) cuiuſque vita ac fama concionatorum (quos vocant) cenſuræ ſit expoſita, vt ſi eorum incurras offenſionem, ac propterea cenſuram, infamia planè obruare, quo quidem fit, vt nemo non malit eos amicos habere, quam inimicos, vtq; qui ijs ſe opponere velit, niſi graviſſima adductus cauſa, haud facilè invenias. Cum quibus quidem rebus ſi eruditio coniuncta ſit aliqua, quæ vel ſola, vt Paulus teſtatur, non ſua quidem culpa (quippe quæ magnum Dei donum ſit) ſed humanæ naturæ vitio, *inflare* hominem ſolet: permagna omnino fiet ad arrogantiam, inſolentiamq; acceſſio. Quare ſi cui ex horum numero ſeductori reſiſtendum ſit: niſi caute expenderit quid facere alioqui poſſit authoritas, eruditio, opum affluentia, ſi qua ſit, ac nominis celebritas, mirandum admodum fuerit, niſi in- 1 Cor. 1.

solenter, arroganterq; fecerit, vt adversario obijciat quicquid in buccam, ac nihilominus sibi vehementer placeat: vt ipse solus loqui velit, ac sæpe nondum parta victoria triumphare, quo fiat, vt bona causa malum nacta defensorē iam incipiat videri minus bona. Quin & illud fere vsu venit: vt quisquis certo persuasum aliquid habet: rationemq; quamobrem ita sentiat, tenet: haud possit quodammodo non mirari quenquā, quod ipse videt, non videre, itaq; nisi vix vno verbo indicata ratione alter cedat: vt si per animi perversitatem, pertinaciamq; id fieri certum esset: ita excandescit: nihilq; tam prope est, quàm vt veniatur ad conuitia. Cumq; perturbatus animus neq; intelligere, neq; judicare rectè possit, si ei qui errore ducitur, præterquam quod etiam parum aptè alioqui confutetur error, insuper maledictis perturbetur animus (quod ferè fit ab ijs qui superiore de loco pugnare se intelligunt) ille quidē multo minus agnoscere errorem possit. Tale est etiam hominis ingenium ad nimiā videlicet animi elationem superbiamq; nati, vt omnibus in rebus, si possit, antecellere alijs videri velit. Quo fit vt invitus admodū cedat cuiquā, aut suos fateatur lapsus, atq; vt quisq; maximè invitus facit aliquid: ita se id facere debere difficillimè intelligit. Argumento qui-

Non disputāt homines hodie, sed vrixātur, digladiātur, feruide, maledice.

dem sint, qui in foro quavis de re litigant. quanti enim sit negotij, eis qui iniustè quid petunt, aut negant, quod iniustè faciãt, persuadere? Ac quo magis etiã incaluerint cõtentione animi, eo durius, graviusq; videatur cedere. Quare si, præterquam quod ei qui in errore versetur, errorem parum apte parumq; perspicuè demonstraveris: quod; alioqui etiam verbis asperis eius turbaueris animum, illud accesserit, vt erroris magnitudinem, fœditatemq; intempestiuè exaggeres, vt si mirari videare quemquã tam nullo judicio, tam stupidũ, bardumq; fuisse, qui tã turpiter hallucinari potuerit, aut quid dixeris eiusmodi, quid illud fuerit aliud, quàm homini quicquid reliquũ iudicij fuerit eripere, prorsusq; ad insaniam adigere? Vt nihil minus possit iam, quam errorem vllum vel suspicari, nedũ palàm agnoscere, ac fateri.

Hæc igitur in disceptationibus si admittantur: vt ei qui errore ductus ipse, seducebat alios, haud perspicuè demonstretur error, qui seductori opposuerit se se, quid ille dicat non intelligat: propterea q; non illa conuellat, sed quæ ipse sibi falsa suspitione finxerat, receptamque doctrinam tueatur non ijs rationibus quibus oportuerat, sed ineptis quibusdã, quales videlicet col-

ligere temeritas dementatuſq; ira animus potuit: quas quidem diluere promptũ ſit: & qui errat non victum ſe putet, ſed multis, gravibuſq; inſolenter affectũ iniurijs: eiuſmodi quidem diſceptationes, etſi vt ſatanæ repugnent inſtitui videntur, adeo tamen nullum eius frangunt conſilium: vt ad eius inſtituta promovendum omnino aptius fieri poſſit nihil. Errores enim nó oppugnant, ſed invictos reddunt, nõ extorquent, ſed latè ſpargunt, non tollunt, ſed propagant, ac mirum quidem in modum. Invictos quidẽ reddunt, propterea quod ei qui erat, cum ex ijs quæ contra afferuntur, facilè ac prõptum habeat effugium: magna cauſa eſt, quamobrem firmiora quæ ſibi obijciantur, non eſſe ſibi perſuadeat, cumq; viderit non argumenta ſua confutari: ſed neſcio quæ alia, quæ ipſe ne cogitauerit quidem vnquã, quid ni credat id ideo factũ tuiſſe: propterea quod cũ ad tua quod reſponderent, nõ haberent: videriq; tamen vellent reſpondere: cavillati ſua verba fuerint? Quibus rebus planè cogitur pro certo ſtatuere: non ſe in errore verſari: ſed eos qui ſibi adverſantur. Quòd ſi etiam acceſſerint acerba, inſolentia, iniurijſq; plena verba: ac ſi placet, etiam minæ, & alia eiuſmodi, quid ſupereſt hic, niſi vt ſibi firmiſſimè perſuadeat: aduerſarios ſuos:

ſuos, cum ratione tueri eorum cauſam nequeant, in ſola vi, atq; inſolentia præſidiũ ſibi omne collocaſſe? Cumq; ex iniurijs cõcipiãtur odia: quid eſt quod errores maiore firmare poſſit pertinacia? atq; cum quiſq; tam errorum, quàm odiorum hæredes, ſuos relinquat poſteros: fit vt evelli ex hominũ animis nunquã poſſint. Ita ſcinduntur populi in ſectas, quæ ſe invicem odio proſequuntur pluſquam Vatiniano nulli parcentes iniurię generi, in quo quidem eo magis ſibi indulgent homines: quod haud videãtur ſibi in eo ſuis parêre animorum permotionibus, ſed rem Deo vehementer gratam facere, cum interim propterea & maiorem iucurrant indies iram Dei: & denſioribus obruantur tenebris. Errores latè ſpargunt diſceptationes illæ: propterea quòd qui fiunt in ijs ſtrepitus, quæ inde exoriuntur rixæ: eæ multis materiã præbent ſermonibus, atq; vt magna eſt vbiq; animorum, judiciorumq; diverſitas, res variè admodum & narrantur, & accipiuntur. Itaque fit: vt ſi multi errorẽ improbent: nõnullis etiã arrideat, aliqui etiã, quã ipſũ improbant errorẽ, tã improbabunt ſimul ea quæ fuerint ad eũ impugnandũ adhibita, veluti inſolẽtiã, maledicta, & alia eiuſmodi: incipientq; propterea eis minus placere ij qui errori oppoſuerunt

runt seſe, ex quo fiet vt alium quempiam errorem admittant poſtea facilius. Cui quidem arridet error, rebus narrandis vix poſſit non ei favere parti, quam probat: vt addat, detrahat, mutet ſuo arbitratu multa, atq; ita quaſi contagio quædam ſerpit malum, lateq; diffunditur. Propagantur denique inde errores multis modis. Primum enim qui errori opponit ſeſe, vix cavere poſſit: quin & ipſe aliquem in errorem incidat: vel quod (quemadmodum proverbio dicitur) Charybdim vt vitet, in Scyllam deferatur, medjum tenere neſciens, quod facerit, ſi quis, vt eis adverſaretur, qui ſcripto Dei verbo, eiuſq; lectioni tribuere omnia videntur, neque Dei ſpiritu explanatore, ac duce ad illud rectè intelligendum opus eſſe animadvertunt, ad ſolos divinos afflatus tranſferre hominum animos conaretur, ita enim requirendus erat ſpiritus, vt ſcripto verbo ſua ſalua eſſet dignitas, non quaſi humano invento cuipiam, ſed vt rei divinitus traditę. Vel quod aliquid permittat ſeductori non permittendum, quod fortè fecerunt nonnulli ex antiquis patribus, qui ita reſtiterunt philoſophis, vt philoſophicis rationibus Chriſtianorũ dogmatum contaminarint puritatem. Fieri etiam poteſt: vt cum videaris tibi ſententiã quæ

pro

pro vera tenenda sit verbis posse significantioribus, apertioribusq; exprimere quàm fuerit divinis literis expressa ac melius cavillandi ansam tollere (nunquam enim non vult humanum ingenium Deo cautius sapientiusq; esse) eiusmodi vtare aut verbis, aut loquendi formis: vt inde aliquando alia minus vera piaq; colligi possit sententia. Præterea cum quæcunque indicat controversia, vtrinque afferre multa soleant in suam quique partem: si quidem contentio exacuerat non nihil, inflammaueritq; animos: facile videas ab vtraq; parte non pauca & asseri, & negari, quæ compositis animis nunquam vel asseruissent, vel negassent, accidit enim illud.

Furor arma ministrat.

Quodcunque telum fors obiecerit arripitur, quale sit, furor animadvertere nó patitur, quodq; semel temerè exciderit, præsertim inter contentionem: superbia rarum fixumq; esse vult, atque inde novæ oriuntur controversiæ eodemque modo errores noui sine fine. Apparet etiam contentionibus confundi pariter & ipsas res, & ingenia, amittitur veritas, & multò adigũtur, vt postea nihil constituí posse certi sibi persuadeant, atq; ita religionis omne studiũ adijciant. Quin ne illud quidem abesse

videtur posse: vt dum de vno quopiã religionis puncto perpetuò rixantur: alia multa quasi contempta in oblivionem veniãt, & fortè præcipua: vtq; talis quædam oriatur consuetudo, qua pius ab impio iam ea vna re discernatur (qualescunque alioqui sit vita) quod quæ hæretica habetur in vno aut altero puncto doctrina, ab ea valde abhorrere videatur. O si in conspectu esset: quot quãtasq; clades attulerit Christi regno satanas, quasq; vastitates fecerit hoc vno contentionum telo: planè ferreus esset qui tenere posset lacrymas, neque equidem fanaticos nunc queror spiritus illos satanæ emissarios, qui nunquam cessant curiosas, inanes, atq; impias lites serere: quid enim ab illis expectares aliud? sed eos multo magis qui cum verum Dei cultum ament, non satis considerate in religionis versantur cõtroversijs, neque animadvertunt se plerunque studio quodam honoris Dei, puræq; doctrinæ conservandæ, sed vehemẽter præcipiti, multa facere, quibus, cum bellissimè se arbitrentur Christi causæ prospicere, tamen ita satanæ rem agũt, vt quid optet adhuc, vix relinquant. Immò vero nec vulgares quidem pastores, quosdam dico rerum imperitos, sed præcipuos quosque, ipsas, inquam, ecclesiæ columnas, neq; sanè huius

ius tantùm ætatis: sed omnium, prophetas (qui appellantur) apostolosq; excipio. Liceat enim mihi aliquando ecclesiæ vicem dolere, ac meas communibus calamitatib. dare lacrymas. Qui hujus culpæ partem habet nullam sciat se hîc nihil attingi, nominatim neminem accusamus: quin etiam ad quoscunq; hæc pertineat culpa, quicquid dicimus, façimus non eos incessendi, aut notãdi causa: sed corruptelæ tollendæ qua in ecclesia pernicioſior pestis esse possit nulla. Non hîc hominibus bellum indiximus: quos & servatos, & ornatissimos esse cupimus, sed satanæ. Ipsas tantùm res (vt præfati sumus) persequimur, quæ ferri sine certissima Christianæ reip. pernicie non possunt. Quòd si qui fieri id nõ posse arbitrãtur, quin ipsi quasi digito monstrẽtur: ab iis ego intelligere perlibenter velim, vtrum æquius fuerit, eorum ne dignitatis, ac famæ rationẽ me habere, an salutis publicæ? Certè quidem si ii sunt qui videri volunt: Dei ejusq; honoris amantes: non tantùm officium hoc nostrum bonam in partem accipient; sed magnas etiam Deo agent gratias: quòd per aliquem tandẽ (quisquis ille sit) patefecerit, haud esse ab se ea consilia, quæ ipsi ecclesiæ saluti arbitrarentur imprimis necessaria. Sin autem ij sunt (quod minimè

suspicor)

ſuſpicor) qui ſuam ipſorum dignitatem rebus omnibus antiquiorum ducant: mei quidem officii non fuit: cum bonum reip: ſtatum, ac ſalutem, tum Dei honorem eorũ famæ poſtponere. Neq; ſanè eorum mihi pluris gratia fuit, quàm Dei facienda. Hem hominum vecordia: occupaverat penè vniverſum terrarum orbem evangelium: tantũ fuit contentionum, tantum litium, tantum rixarum de religionis apicibus, ac plerunq; de rebus non maximi ponderis: vt paulatim penè interciderit: certè vix aliquo in angulo reliquiæ ſupererant exiguæ tantum quædam. Noſtra etiam ætate Dei bonitate quadam incredibili lucis aliquid obortum nobis erat: nos autem quid facimus? Num fortè majorum noſtrorum perterriti exemplo ſedulò inquirimus quî acciderit: vt Chriſtianus populus in ſectas primùm diſcerptus fuerit: mox autem cum pia ſanctaq; doctrina morum etiam diſciplinam omnem amiſerit: vt ejus pars maxima ne ipſũ quidem Evangelii nomen retinuerit: ô inauditam ſocordiam infinitis dignam lacrymis, immò verò vt ſi exemplum extaret nullum quo quid cavendum eſſet moneremur: ita eiſdem veſtigiis pergimus denuò clauſis oculis omnia evertere. Neq; quicquam prætermittimus, quo majorem quàm

In controverſiis tractandis ſumma lenitas ac manſuetudo neceſſaria.

ou æ

quæ vnquam fuerit, vastitatem faciamus. Quot exortæ sunt olim sectę, creveruntq; in immensum: quarum si initio in controversiis lenitas, ac mansuetudo adhibita fuisset aliqua: si patientia, si modestia, si pacis studium: ne nomina quidem ad nos pervenissent vnquam? Sed nos vt pedem ponere extra semitam videtur quispiam: nihil aliud factu opus esse arbitramur: quàm vt protinus classicum canamus: convitiis, probris, clamoribusq; omnia repleamus: quicquid in buccam venit: cum nihil persæpe sit ineptius: videtur quod objiciatur, aptissimũ ac sic bellissimè nos officio nostro satisfacere, & magnam nobis propterea deberi laudem arbitramur: prudentissimi videlicet homines: qui ad incendium extinguendum oleum afferamus. Quin hic, vbi consideratissimis opus est consiliis: valeant iræ: valeat arrogantia: valeant clamores: atque vna hic dominetur ratio: non quam satanas gubernet, sed Dei spiritus.

Principio autem cavendum est etiam atque etiam, ne vlla non necessaria moveatur controversia. Offendit quid fortè aurem qnasi insolens? Tuus sanè, vt occurras te protinus horterur sensus dexteritatis vllius minimè idoneus ille quidem magister vt eo authore, ac satana instigante ad minimam

mam quamlibet occasionem præceps summa imis æquaturus sis. At magna inquam res est, magni plena periculi, consilio hîc, nõ temeritate est opus. Quid enim si quod audisti, novitatem quidem præse ferat aliquam: cum tamen insit nulla: sed tantùm id accidat: quòd præter ejus qui dixit sententiam, interpretatus verba fueris? Quæ igitur sit insania: vbi de rebus conveniat: de verbis lites excitare, ac quasi nubes pugnis cædere? Atqui si accesseris, si amicè humaneq; quid sibi homo velit interrogaveris: verbis explicatis controversiæ sublata occasio fuerit omnis. Quòd si insolens omninò sit aliquid, ne tum quidem protinus cõsultum est illum rixarum versutissimum seminato rem classicum canentem audire: sed quando dictum est, nunquam populum aliquem in tanta versari luce: vt non sint aliquæ errorum nebulæ: expendendum prius diligenter est: consentiat necne cum ea doctrina quæ est divinis literis comprehensa. ne quando fiat vt cum te putes errori cuipiam resistere, veritati resistas. Sed hoc quidem fieri oportere, vt veritati nunquam resistatur: quantumcunq; tandem habeat falsi speciem: nemo est qui non perlibenter fateatur, sed vt ipse id caveas, quum tempus est: id verò tam difficilè est

factu, quàm quod difficillimum. Quamcunq; enim doctrinam quisq; semel imbiberit, eam non veram esse non potest sibi persuadere: ac proinde quicquid ab ea discrepat falsum esse: eiq; , ne fidem inveniat, resistendum. Quòd si ita comparati omnes sint: vt quicquid novitatem sapiat , rejiciant: quisquis fuerit in Ecclesia error, extirpari nulla ratione poterit; quin potius ex vno illo pedetentim pullulabunt quamplurimi. Quid faciendum igitur ? Certè illud extra omne est dubium, quòd si ii qui in erroribus versantur, ita essent comparati , vt vellent patienter, ac pacatis, compositisque animis ab se dissentientes audire, rationũq; diligenter momenta expendere: perinde ac si fieri aliquo pacto posset (quicquid tandẽ videatur) vt errarent: fore vt pleriq; revocarẽtur ab erroribus: sed ideo in iis eos obstinatè perseverare: quòd venire in erroris suspitionem vilam nequeant , vt quicunq; aliter doceri ac ipsi sentiũt voluerit: extemplo opprimendum indicta causa arbitrentur. Quis igitur non intelligat optimum illis consilium futurum, vt quicquid audirẽt à suis persuasionibus alienum , non statim rejiciendum putarent: sed subsisterent nõnihil: atq; ita cũ animo suo cogitaret vnusquisq;: Mihi quidẽ vera videntur, quæ hactenus

ctenus cum vulgo credidi: sed quid si mihi idem accidat quod valde multis solet: vt quod mihi maximè certum esse videatur, in eo potissimum errem? Quidni enim audiam hominem prius? Quidni expendam quod dicit? Pauli præceptum est: *Prophetias ne spernite: omnia probate: quod bonum est tenete.* 1. Thes. 5. Ac discere equidem perlibenter velim ex te: quisquis es, qui certissimè omnem abs te abesse errorem opinaris, opinaris dico? Immò & qui plenè id vides, ac palpas: qua nam putes adduci ratione eos posse qui errant: errare se vt suspicentur: vtq; ob id reddantur paulò ad audiendum attentiores? Ea opinor: quòd certum sit nimium multis id accidere, neq; ijs tantùm ex indocta plebe, sed viris etiam eruditissimis (quod infinitæ propemodum agitatæ inter eos controversiæ testantur) vt cum certissimè sese rectè sentire arbitrentur: maximis tamen involuti sint erroribus: itaque prudenter facere, qui cum se homines esse meminerint: vt tam decipi ipsi, quàm vlli alii potuerint (etsi errare haud intelligunt) quasi tamen errare possint: attentos se auditores prębent iis qui se meliora docere posse profitentur: atq; id ita faciunt vt non tamen nisi diligenti facti examine admittant quicquã, implorato etiam divino ad id auxilio

xilio:prorsus (inquies) ista:agè verò: apud quosnam valere hoc exemplum rationemque vis?Apud eosne, qui rectè sentiunt? Non id vis(opinor) sed apud eos solos qui errant. At hoc ipsum cognoscere vellem scilicet: qui probaturus sis eam rationem iis magis qui errant, quàm iis qui non errant? Anne hoc ipso quòd errent? At ne intelligunt quidem fieri posse vt errent: idq; adhuc agitur ea ratione,aliquam in suspitionem erroris vt adducantur. Quòd si tam abesse se ab errore certò putant ii qui errant,quàm qui rectè sentiunt: immò verò plerunq;multo certius: *cum stulto* (vt inquit sapiens) *sua pulcherrimè arrideant rationes*: sapiens autem quærat consilium: quæ alia sit via agnoscendo errori, si modo in ecclesia sit vllus, equidem non video: quàm si generaliter illud statuatur: Propterea quòd tam proprium sit hominis errare: neminemex omnibus qui modo homo sit,tam confidentem esse opportere: vt errare se non posse persuasum habeat: vtq; quicquid tandem in controversiam venerit,arbitretur se frustra ea de re cujusquam verba auditurum. Sed hærendum (inquis) in religionis doctrina non est immò exploratum habendum quid teneas,ita est, propterea q; perdifficilis est ad expediendum nodus.

nodus. Veritati reſiſtere, erroremq; non agnoſcere, atq; abjicere, ſi ſit qui indicare poſſit, vehementer malum eſt. Qui errat autem in erroris agnitionem venire ante, quàm vel poſſe ſe putet errore duci aliquo, ex quo fiat vt ad audiendum ſe comparet, non poteſt: ſed neque hærere in religionis doctrina licet, quonam nos igitur tandem filo exitum ex tam perplexis invenerimus ambagibus? Sed abjicienda tamen ſpes non eſt, inveniendus eſt omnino exitus. Ac illud quidem jam omnino certum eſt, veritati reſiſtendum eſſe nunquam, ſed ne illud quidem eſt dubium, qui errat, dum errat, intelligere eum non poſſe, quòd erret: palam eſt etiam maximum eſſe ad veri agnitionẽ impedimentum: ſi quis vehemẽter ſit perſuaſus nullo ſe errore duci, rectamq; ad erroris agnitionem viam eſſe, primumque ingreſſum: ſi qua erroris incidat ſuſpitio. Quid ergo? Hæſitationem ne in fidei negotiis perpetuam probemus? Ne hoc quidem; immò verò dandam puto operam: vt ſcientiam aſſequamur quàm fieri poſſit, certiſſimam. Quid tandem autem? Cum quis circa rem aliquam, & benè perſuaſus eſſe poſſit, id quod res eſt credens: & malè, aliter credens atq; eſt: cumq; is qui benè eſt perſuaſus, poſſit & perfecto quodam modo

eſſe:

esse persuasus, quod accidit ei qui certam perspicuamq; adeptus sit scientiam: & imperfecto, quod accidit iis qui vera illi quidem amplectuntur: sed opinione ducuntur tantum: certam autem rationem reddere, quamobrem ita sentiant, non possunt: illud constat, in quo certa sit scientia, vt veras, constantes infallibilesq; causas suæ sententiæ, quas reddat, habeat, eum ea de re adduci jam in dubium non posse, aut seduci. Ex quo sequitur: quicquid illi des consilii, vt in suspitionem venire conetur erroris, id obesse ei nulla ratione posse: iis quidem in rebus quarum habeat scientiam: multò autem minus ei obesse possit, qui pravis imbutus sit opinionibus. Etenim qui ita errat, vt se etiam errare suspicetur: jam non omni ex parte errat: sed partim errori, partim veritati adhæret, atque quo magis se veretur errare: eo est veri agnitioni propior. Supereſt ergo videre, quid de iis dicendum sit, qui, cum veras amplectantur opiniones, rerum tamen scientiam adepti nondum sunt. In quibus sane erroris suspicio aliud non est, quàm quidam ad errorem accessus, id quod videri non potest per se non malum: sed & si tibi scientiam falso arroges: cum opinionem tantùm habeas· error sit. Atq; vt error

non potest esse non in malis, malum est etiam in pernicioſi alicujus erroris versari periculo. At verò qui opinionibus ducitur tantùm, neq; explorata habet quæ tenet: fieri potest in errorem vt seducatur. Itaque in periculo versatur, id vt accidat; optimum est autem ab omni eximi periculo. Quocirca quemadmodum, etsi dolor omnis in malis ducitur, si tamẽ susciptatur gravis morbi depellendi causa, boni, & quidem insignis, rationem habere videatur: ita, cum opinio infirma quædam invalidaq; sit scientia, & animi si non morbus quidam, at certè constitutio morbo obnoxia: qui suspicionem injecerit erroris commemoratione tam multorum, qui cum nihil minus sibi persuadeant, in maximis tamen versentur tenebris, eum in finem: vt certæ constãtisq; scientiæ adipiscendæ viam monstret: is non pernicioſum dare consilium, sed salutare, ac vehemẽter necessarium videri debet. Quominus ergo vera docere parato negotium facessas vnquam: aut necesse est omnium quę venire in controversiam vnquam possit in ecclesia scientiam consequare quàm pleniſſimam certiſſimamq;: id quod quanti sit operis, quis non videat? Aut certè, si quando quid audieris auribus tuis paulò insolentius: ante quàm damnes, subsistendum

sistendum paulisper est, cogitandumque, quam habeas ejus rei scientiam. Ac ne fallaris, vehementem persuasionem certa pro scientia accipiens: quid scientiæ, quid opinionis nomine accipiendum sit, videndum est: quod ipsum tamen facere nos decet, non quasi philosophos, sed vt Christi discipulos. Nihil certius est quam nos (ad religionis doctrinam quod attinet) habere nihil certi posse: nisi ex divinæ vocis testimonio. Testantur id complura divinarum literarum loca: sed hæc pauca instar erunt plurimorum. David quidem Israelitici populi rex, idemque magni nominis propheta, cum instituisset Domino templum constituere: Dei tamen in eo divinare voluntatem non potuit: neque verò melius eam Nathan magnus & ipse propheta, attigit illo, suum vt institutum impleret, hortando: quippe per quem Deus Davidi vetuerit ne sibi ædificaret templum vllum, quod quidem minimè contemnendum est exemplum. De Iosue autem, qui Moysi successit, testantur literæ, *spiritu illum donatum sapientiæ*: eique promisisse Deum *ad futurum se ei perpetuo*. Sed imperatum tamen ei est: videret vt impleret legem quam accepisset à Moyse, neque *ab ea declinaret vel ad dextrã, vel ad le*

Divino verbo soli, Spiritui, precib. insistendum.

2. Reg. 7.

Deut. 31.

vam,& ratio additur quamobrem: *Vt intelligas* (ait Dominus) *quid factu opus sit.* Ex quo intelligere licet, ita demum constare nobis aliquid: si verbum extet Dei: sed quam disertis verbis id habetur alibi? *Non sunt*, inquit Dominus, *cogitationes meæ velut vestræ: neque rationes meæ vestris similes: sed quanto altius est cœlum terra: tanto supereminent cogitationes rationesque meæ vestras.* Neque verò satis est quomodocunque divinis inniti oraculis: sed necesse est ea cognita habere divino spiritu interprete; quippe cum videamus tor dissidentes de religione sententias vel inter viros doctissimos, atq; in divinarum literarum lectione exercitatissimos: testatur enim Paulus vnum Dei spiritum divinas assequi res, neq; *hominis sensum ea percipere quæ sunt spiritus*, neq; *posse percipere*, quòd videlicet inepta illi videantur: *Verum spiritu præditum omnia dijudicare.* Quo circa qui *indiget sapientia eum* hortatur Iacobus *vt à Deo eum petat.* Quibus ex rebus efficitur eum demùm divinarum rerum scientiam habere, qui & solo Dei verbo nititur: & veram ejus assequutus est intelligentiam, non alio quàm ipsius Dei spiritu interprete. Atque hoc quidem totum dabunt etiam haud inviti, ad quos nostra

Isa.

1.Cor. 2.

Iac.2.

omnis

omnis est oratio. Sed magna hîc subest difficultas. Nam pleriq; quod tenent, persuasum habent, id se posse divini verbi comprobare testimonio: atq; etiam suæ intelligentiæ Dei se spiritum ducem habuisse, ac doctorem: qui tamen toto (quod aiunt) cœlo aberrant. Videntur sibi spiritum à Deo petiisse, in eoq; præsidium sibi omne collocasse: qui tamen non animadvertunt se id quavis alia potius in re situm habere, quàm in eo. Atqui ante quam statuere possis certò te spiritum ejusmodi adeptum, illiusq; ductu quid didicisse: quicquid tale est: vt potuerit tibi quid persuadere, aut conceptam jam persuasionem confirmare, quod genus est de te, aut alio quopiam homine opinio, de illius scientia, judicio, spiritu, sanctitate: deinde eorum qui tecum sentiunt multitudo, aut eotum qui te laudant, mirantur, ex te pendent: tum autem temporis diuturnitas, qua invaluit ea quæ impugnatur sententia: deniq; quicquid Deus non est, neque ejus verbum: ab eo abducere oculos, animum, cogitationemque omnem oportet, non secus ac si nihil extaret ejusmodi: tandem autem abjecta quacunque alia spe fiduciaque, in vnum Deum oculos, mentemque defigere: ab vno illo pendere: atq; ita compara-

tum ab eo ſpiritum petere. Id ſi feceris, ſi frequenter, ſi ſeriò, ſi fidenter, tum demum jure optimo nullo te pernicioſo errore teneri ſtatuere certò poteris: aut, ſi tenearis, fore vt is tibi patefiat. Sed hæc quidem ſunt ejuſmodi: vt multò promptius ſit ea verbis, quàm re exprimere; adeò arrogantiæ temeritatiq; obnoxium eſt humanum ingenium, adeò errori: adeò etiam ad quãlibet naſcitur potius fiduciam quam Dei. Deniq; tam vafer, diligens, variiſq; inſtructus artibus ſatanas ad fallendum: vt vel vbi ſumma omnia feceris, magni tamen ſit negocii, non alicubi hallucinari. Quod tamen eum in finem à me dictum intelligi minimè velim: vt putem divinis in rebus certitudini locum eſſe nullum: à qua ego ſententia tam longè abſum: quam qui longiſſimè. Sed illud nullo pacto velim, vt qui ad certitudinem nondum pervenit vllam: forteq; falſis adhuc immerſus eſt opinionibus: ſcientiam ſibi arrogaret, ſed eam vt adipiſceretur daret operam: & eam quidem operam quam oportet. Qui ſemel ad perſpicuam certamq; pervenit ſcientiam: hortare illum quantum volueris: faciat etiam ipſe quantum poteſt, vt errare ſe ſuſpicetur: venire tamen in erroris ſuſpicionem nunquam poterit. Exhortationes igitur ejuſmodi

modi iis movere ſuſpicionem ſolis poſſunt' qui aut errant: aut nondum firmam conſtantemq; adepti ſunt ſcientiam: adipiſci tamen eam adhuc poſſunt: quibus cum recta monſtretur ad eam perveniendi via: moneanturq; à quibus eos cavere impedimentis, decipulisque oporteat: equidem quamobrem quod iis datur conſilium videri poſſit non vehementer vtile ac ſalutare, non intelligo. Quare quo minus juſtam reprehenſionem quis incurrat vllam veritati opponens ſeſe, ſive publicè ſive privatim, & ſive verbo, ſive ſcriptis, vehementer ſuaſerim, vt quicquid de religione ſentit: examinaret ſingillatim quibus rationibus adductus perſuaſum id haberet, quàm diligenter, quãve certo ſpiritu divinas excuſſerit literas, quam circumſpectè prudenterq; ab omni prorſus re quæ neq; Deus ſit, neque Dei verbum, oculos dejecerit, tum autem qua fiducia preces ad Deum fuderit, deniq; quàm certam habeat rem quamlibet. Sed vt feceris hæc omnia quanto maximo potueris ſtudio, cum neque ingrata Deo eſſe vnquam poſſit modeſtia, neque diſpicere preces ejus qui non ceſſet petere majore indies ſeſe donari fidei certitudine, tamen ſi quid novi, propterea-que falſi atque impij tuas verberare aures

videatur, adhuc optimum factu arbitrer: vt antequam te objicias, subsistas nonnihil, cogitesq; cum animo tuo etiam atq; etiam, quàm exploratum habeas, falsum impiumque illud verbum esse: ac denuò precibus à Deo contendas ardentissimis, vt si in recta sis sententia, in ea te magis ac magis confirmet, sin humanitus tibi quid contingat, oculos tibi ita aperiat, tantumq; impertiatur luminis, vt agnoscere errorem possis, atque abjicere. Nam *si nos mali cum simus* (vt ait Dominus) *ita sumus affecti: vt bonis rebus donemus filios nostros, neque si panem petierint, lapides damus: neque serpentem, si petierint piscem*: quid de cœlesti patre censeamus? Eum ne, cum nunquam cessemus ab eo veri petere certitudinem, desiderio videlicet accensi ejus satisfaciendi voluntati, veritiq; ne qua fiat vt per errorem hostes fiamus veritatis, eumne (inquam) censeamus pro veri certitudine errores, pro luce tenebras nobis immissurum? Quàm esset hoc ab infinita ejus bonitate, atque adeò à certissimis ejus promissis alienum? Accedit & illud, quòd cum (vt dictum est) certi habere possimus nihil nisi à Deo docti, neque precibus præscribere Deo tempus, intra quod nos doceat, possimus, vt oculos à rebus omnibus

quæ

quæ Deus non ſunt abduxeris, vt omnem in Deo collocaveris fiduciam, adhuc tamen fieripoſſit vt nondum ſis a Deo edoctus, ſed per eum ipſum quem pro ſeductore habeas docturus te ſit, nam ſi te quidem iam docuerit, tantum etiam addiderit lucis certitudiniſque, vt hæſitationi nullus ſit relictus locus, tantum cauendum eſt, ne tibi fucum faciat ſatanas, meminiſſe oportet quantus ille veterator ſit: quàm belle *ſub angeli lucis* (vt Apoſtoli verbis vtar) perſona imponere noverit: exploratumq; habendum eſt, neminem ſibi ab eo plus ſatis cavere poſſe. Valeat autem vox illa: vetus eſt error iam diu, ac ſæpe confutatus, quid ſit adhuc malè defenſa cauſa eſt? Quid ſi hactenus & opugnatoris, & propugnatoris partes vnus egit ſatanas? Sed age, ſit ita ſanè, ſaltem certè vt tuo exemplo ad eam quæ omnino neceſſaria eſt facilitatem eos provoces, qui errant: quo minus ſint ad eos qui ſe doceri velint obſtinati: vtere ea comitate: vt prius audias intelligaſq;, quam damnes. Saltem vt querelæ anſam omnem adimas, quaſi indicta cauſa rem reijcias. Quid? an fortè re ſæpius excuſſa minus fiet veritas conſpicua: ac non magis ac magis indies certa, atq; illuſtris? Procliuius quidem nihil eſt, quàm litem ſerere: at cœpta cum fuerit, haud tam

facilè est finem invenire. Itaq; appositissimè Salomon, *eum qui litem movet* ei comparat, qui *aquis viam aperit* (intellige autem quasi magnum aliquod amplumq; in stagnum collectis) nam initio quidem contemnenda res videtur, at viam sibi illa magis ac magis amplam, ac profundam facit, vireſq; maiores comparat: dum aggeribus latè abruptis, quicquid obuiam fit, perdit: fossas cavat: agros glaria colluvieq; obtegit: arbores evellit: ædificia solo æquat: atq; horrendum prorsus aspectum præbet, ita ex parvis contemptissimisq; controversiarum initijs videmus tandem mundum dissidijs, calumnijs, maledictis, clamoribus repleri. Vt qui non putat à movenda lite, nisi plane coactum cavendum sibi, tanquam maximo à malo: aut nihil prorsus videre, aut ecclesiæ salutem ne quidem pili facere videri possit. Quare etsi tandem compertũ omnino sit, falsum esse id quod spargitur adhuc tamen antè quam litem movendam vllam putes, quanti ea res sit, videndum est. Nam *de inanibus quidem quæstionibus*, præceptum extat Pauli, non vt refutemus quicquid assertum fuerit falsi: sed *eas vt vitemus*: quare id vnum faciendum putem, vt avocentur animi à curiosis eiusmodi, nulliusq; precij quæstionibus.

Tit. 3.

non

non propterea quod falsa dicãtur, sed multo magis ne bonas horas malè perdant, præter quàm quòd sæpe fiat, vt dum leviſſima de re agitur: in hanc aut illam partem ab ingenijs contentionis calore perturbatis ea temere afferantur: quæ cum maioris siut momenti, doctrinæ puritatem non parum labefactent, Accedit quod non minus facile ad probra, maledicta rixasq; veniri possit de asini vmbra si sit lis: quam si maxima quapiam de re fuerit, à quibus malis magnopere Christianorum pectus dedet abhorrere. Sed hoc opus, hic labor est: quæ invtiles sint quæstiones ab ijs in quibus damnosus error sit, videre. Nam quicquid in mentem venerit: statim satanas dat operam vt rem maxime grauem esse persuadeat: vt, nisi exploratum sit, quid teneas, constare salutis spem non posse arbitrere. Equidem ita sentio: qui non vana curiositate, aut ambitione aductus, quo videlicet argutus evadat divinis de rebus disputator, sed vera erga Deum pietate, neque frigidissimo suæ salutis desiderio in diuinarum versetur lectione literarum: ei minimè difficile fore cognitu, quæ futiles inanesq; sint quæstiones: quæ nè haud indignæ, quæ explicentur, sed tamen propterea quod multi hoc in genere non sine magno eccle-

siæ

siæ incommodo à scopo longè aberrant: haud ab re fuerit aliquam investigare rationem, eamq; certam: cuius ductu discernere inter has & illas quisque possit absque errore.

A curiosis quæstionibus abstine, sectare vtiles quales, quæq;, vtræq;.

Igitur certum illud est: si quid vnum sit ad quod tanquam ad finem ac scopum omnis quæ de Christiana religione est doctrina, pertineat, quæ res (cognita cum fuerit) nullum ad eum finem vsum adferre possit, ea de re inanem quæstionem omnem futuram. Quare sit, nec ne finis quispiam eiusmodi, & si est, quis nam ille sit, quæq; nos ad eum ducant, videndum est. At Ioan. quidem non modò finem esse talem, sed etiam quis sit, testatur his verbis: *Multa quidem & alia edidit Iesus signa, quæ non sunt hoc libro comprehensa, sed hæc quidem literis sunt prodita, vt credatis Iesum esse Christum Dei filium, vtq; credentes vitam per eum consequamini.* Quibus verbis satis perspicue palam nobis fit, christianæ doctrinæ finem ac scopum esse, æternam vitam, ergo quicquid ad æternæ vitæ adeptionem vlli esse vsui poterit id vtile cognitu dicendum erit: quicquid autem ad id conferre nihil possit, contemnendum. Quid? (inquies) ergone honoris Dei gloriæque nulla hoc loco fiet

men

mentio? Reſpondeo: Quæcunq; ad honorem pertinent Dei, eadem cognita nobis ſine dubio ad ſalutem conferunt omnia: ipſaq; in ſalute noſtra Dei honor cernitur maximè. Ergo ſi, vt æterna vita potiamur, quicquam eſt quod nos facere oporteat: cum, niſi id ita fieri oportere didicerimus, facturi id non ſimus, neceſſe fuerit id noſſe. Quoniamq; legem dedit Deus, quam qui numeris omnibus non implet, ei ſempiterni exitij pœnam conſtituit: quam legem, cum implere homo nequeat, ſitque aliud quid, quod ſi faciat, ſalutem obtinere tamen poſſit: intelligat oportet & ſe ſatisfacere legi haud poſſe: & quid illud ſit, quod, ſi fecerit, ſaluti ei ſit futurum. Cumq; illud ſit: ſi perſuaſum habuerit, Dei filium hominem factum ſuorum delictorum pœnas patri perſolviſſe, ac ſe eius ſanguine à peccati labe omni mundum eſſe redditum: ſed requiri tamen à nobis vitæ ſanctitatem atq; innocentiam, non vt ea freti ſalutem nobis promittamus: ſed vt mores noſtri ſint qui Dei filios ac ſeruos tanto precio redemptos deceant, cum hæc (inquam) ita ſe habeant: & promiſſiones de Chriſto habere cognitas oportet: nec quibus in rebus vitæ ſanctitas innocentiaq; ſit poſita, ignorare licet. Quoniamq; multa ſunt, quæ &quaſi manu ducere nos poſſunt ad collo-

candam in Christo salutis nostræ spem, implendamq; (quoad eius fieri potest)Dei legem, & sine impedimento, siue moræ esse, quæ illa sint quæ aut conferant, aut obsint, vehementer vtile est cognoscere. Persuadet autem nobis, vt spem in Deo nostram collocemus, eiusq; in nobis accendit amorem, quo adducti eius parere mandatis satagamus, cognita eius natura: non quemadmodum eam nosse volunt philosophi, subtiliter de ea vt argutentur: sed vt intelligamus quam sit supra omnem cogitationem sapiens, bonus, clemens, misericors, quam ad vnguem suis satis faciat promissis. De eiusmodi eius natura testantur eius opera: mundi quidem etiam, eorumq; quæ in mundo continentur omnium creatio, sed præcipuè exempla quantæ curæ ei fuerint qui pio sanctoq; timore eum coluerunt, vt ijs necessarijs eorum temporibus opem ferret: vt eos a mundi satanæq; insidijs tutaretur, tum autem quot quantorumquè reos, postquam pœnituisset, erexerit, servaveritq; alioqui autem quam acrem peccati hostem semper se ostenderit, aliaq; eiusmodi, addita igitur eius naturæ notioni promissorum sæpissimè repetitorum recordatio, fidem vehementer confirmat, roboratq;, at nos vitæ emedationem vt serio instituа-

ſtituamus, magna vi impellit. Eodem etiam pertinent vaticiniorum ſiue propheti-arum explanationes eorum præſertim quæ ad præſentia referuntur tempora: quæ cum divinæ providentiæ maximè illuſtre ſint teſtimonium, ad animorum confirmationem mire valent. Quæcunq; igitur res eiuſmodi attingunt, ea cognitu vehementer ſunt vtilia, dignaq; imprimis quæ omnium terantur ſermonibus domi, foris, privatim publiceq;. Quoniamq; eorum quæ paulo antè dicta ſunt, præſtare nihil poſſumus, niſi Dei adiuti ope & ſpiritu, hancq; opem & ſpiritum vult Deus ab ſe peti, & huiuſmodi eſt Dei voluntas cognoſcenda, tenendæq; promiſſiones, ſi petierimus ea nobis datum iri, atque omnino quæ ſit Dei invocandi, & gratias ei acceptorum beneficiorum agendi ratio, non ignorandum. Contra, magno nobis impedimento eſt ad ea omnia: ſi de Dei natura, eiuſq; voluntate, deq; eventu omni aliter iudicemus, quam ex ea doctrina quæ eſt divinis literis prodita, impedimento eſt naturæ noſtræ corruptio: quæ à Dei iuſsis inſtitutiſq; mentem, animumq; ſtudia ad contraria magna vi abducit, rapitq;. Quare cum nobis neceſſe ſit perpetuo bello ingenito reluctari vitio, quo naturam divinæ ſubij-

cia-

ciamus voluntati: magnopere etiam neceſſe eſt cognitum habere, & hoc originis vitium, & quicquid ad id emolliendum domandumq; ſacris docemur voluminibus. Quoniamq; haud ſatis eſt, ſi quiſq; ſe ipſe curæ habeat: ſed rationem habere oportet vnumquemq;, & pro ſpiritus menſura qua donatus eſt, & vitæ genere ad quod eſt vocatus, eccleſiæ omnis: neque eorum tantum qui ſunt adhuc in vivis: ſed & poſterorum, quicquid eſt eiuſmodi: vt minus facilem reddere poſſit, expeditamq; vllius vtilis ad vitam doctrinæ adipiſcendæ viam: aut occaſionem præbere poſſit eam vel deſerendi, vel minoris quam par eſt, faciendi: quid tandem illud ſit, ne ignoretur plurimum refert. Quandoquidem etiam monent nos literæ: maximum verſutiſſimumque nobis eſſe adverſarium, qui & hinc nomen acceperit, qui ſine ceſſatione vlla inſidias nobis machinetur, quib. præcipites agat, & à Deo avertat: quis dubitet maximo nobis vſui futurum, eius probe cognitas habere artes? Et qua ſint prudentia declinandæ, intelligere? Deniq; vtilis doctrina eſſe non poteſt, niſi vſum habeat aliquē, quod ſi ſola in ſpeculatione ſit poſita, nullam in actionem emergens, inanis futiliſq; habenda eſt. Immo vero ne omnis quidem

dem doctrina quæ ad salutis adeptionem pertinere aliquo pacto possit, in vtilibus habenda est: vt vel expediat eam curiose admodum tractare: vel, si oriatur dissensio, magnopere, vt quid tenendum sit exploratum habeamus, laborandum sit, sed illud accedat oportet: vt alia non sint præterea, quæ eundem nos ad finem satis possint commodè perducere. Quod ex eo cognosci potest: quod cum persuasum habere nos oporteret, Iesum esse Christum: eum qui fuerat per Prophetas prænunciatus: eoq; spectarent signa ab eo edita, vt agnosci inde quinam esset, posset, haud fuerunt tamen mandata literis omnia: sed tot solũmodo, ac talia: vt inde quis esset, promptum esset cognoscere. Quod si contenderet quispiam, Dominum signum aliquod edidisse, cuius ijs libris, quos de eius vita, ac rebus gestis habemus, mentio facta sit nulla, haud esset operæ precium certam rei veritatem persequutari, aut ea de re litem movere, propterea quod, vt constaret rem ita gestam fuisse, eius rei nullus alius esset fructus, quam vt testaretur Iesum à deo fuisse atq; eum quem se ipse faceret, quod tã plenè testãtur alia miracula, quamplurima extra controuersiam omnem posita, vt certitudo maior ne optari quidem possit, cõ-

tra etiam, quanquam nulla esset eius miraculi fides, nihilo minor esset aliorum signorum quæ sanctissimi scriptores literis prodiderunt, authoritas. Quo fieret, vt siue crederetur miraculum illud, siue minus: nihil nobis neq; accederet, neq; decederet. Quandoquidem etiam si religionis doctrina absurdi aliquid habere videatur, aut pugnantia ponere: id, quo minus eam amplectantur qui ab illa alieni adhuc sunt, est impedimento, quicquid ad tollenda absurda illa, conciliandaq; loca quæ pugnare videntur, pertinet: & id sine fructu esse non potest. Nisi fortasse conciliationes ejusmodi magnis controversiarum dissidiorumq; turbationibus redimendæ sint. Rationibus ergo eiusmodi videntur vtiles: quæstiones ab inanibus nullo dignosci posse negotio, tum scilicet, quum nondum sunt iudicia studijs, contentionumq; calore perturbata, quumq; nondum cœptum est de ijs tanquam gravibus de rebus agi: at quum quodam quasi fascino tenentur homines, iam ingenita superbia, odia, indignationes, erroris consuetudo, ac satanas judicium non sinunt suum satis implere officium. Quis enim nostrum non summopere miretur hodie, tanta animorum contentione litigasse veteres, quando celebran-

da

da esset Paschatis (vt vocant) dies? Nonnulliſq; alijs de rebus admodum levibus atqui tum tantum non de ſumma rerum agi videbatur, nos qui in illis iudicio vtimur libero, perſpicue videmus, quam indigna res fuerit ſcindi Dei eccleſiam quaſi in ſectas, propter tam leves cauſas. Meum igitur tale eſt conſilium: vt quam primum intelligis falſi aliquid doceri, antequam ad contradicendum te compares, diligenter expendas, num forte id nullius aut parvi ſit momenti, atq; eiuſmodi ſi fuerit: aut iitem ea de re moueas nullam, aut vt pro opportunitate quam tibi permiſerit locus, tempus, perſonaq; tum tua, tum eius qui cum res ſit: tantum ab eiuſmodi ſpeculationibus hominem ad graviora dehorteris, idq; facias quanta maxima fieri poſſit dexteritate: ita, vt nulla inde ſequatur animorũ permotio. Sed vera ratio ab inanib. quęſtionibus homines adducẽdi eſt: ſi illi quorum munus eſt aut populum inſtituere, aut in ſcholis res divinas tractare, quiq; ad ſcribendum ſe conferunt: omiſſis curioſis quęſtionibus, inaniq; ingeniorum oſtentatione abiecta, ijs ſolis inſiſtant ipſi, ea vrgeãt quę pertinent ad firmandam fidem, ad vitia exstirpandum, inijciendum Dei timorem, alẽdam pietatem, cõſolandos afflictos, melio-

remq; in ſpem erigendos, & eos qui fratrum nomine cenſeri volunt, in fraterna charitate dulci cum animorum interſe conſenſione retinendos, atq; id genus alia. Neque verò hæc ſunt eiuſmodi, vt citò vileſcere, quaſi minus quotidiana debeant. Primum enim etſi ipſa quidē ſumma capita minimè multa ſunt ac patent quā latiſſimè, deinde varietate tractationis facilè tolli faſtidium poteſt omne, præſertim ſi ſedulò animadverterint Evangelici præcones, quibus rebus, quo tempore populus indigeat maximè, vt ſi rebus ſecundis efferatur, luxuriæq; habenas laxet, ipſi propheticis comminationibus perterrefaciant animos, in ordinemq; redigant. Si afflictio premat, conſolationibus ſuccurrant. Si ocio torpeat, ad honeſtas hortentur occupationes. Si rei faciendæ nimis videatur intentus, moneatur brevitatis huius vitæ, & à nimia illa deducatur cura, atque ita quæ cuique tempori maximè convenire videbuntur afferant. Quanquam quid nimis quotidiana appellemus ea, quæ vix vnquam minima parte imprimi animis noſtris poſſunt? Vt neceſſe ſit tempus deeſſe argumento ſemper, tempori autem argumentum (atque intra prædictos quidem limites) deeſſe poſſit nunquam. Illud autem videtur mo-

uendis

vendis inanibus quæstionibus occasionem sæpe præbere posse, si sacris populo scriptis exponendis quasi legem quandam sibi indicat aliquis super quoque verbo absque discrimine multum immorandi. Quod nunc plerique videntur facere. Cum enim vtilia multa quæ dicant nó semper suppetant, necesse est curiositati laxare vela. Sunt forte qui cum & rerum abundent copia, & pro ingenij dexteritate vndecunque quidlibet dicendi artipere occasionem possint, sine reprehensione nullum non locum fusissime tractaverint, sed (vt est in proverbio) Non omnibus datum est adire Corinthum. Quorum non tam ampla est suppellex, ij multo prudentius fecerint, si conentur quod præstare possint. Vbi multa suppetunt quæ operæprecium sit audire, dicant multa, si locus pauca suggerat: ne pudeat parvo pedi paruum induere calceum: & maiores facere progressus. Quid referat autem, si, cum in vnum Evangelicæ historiæ caput viginti habueris conciones, proximum non plus vna enarraveris totum? Non omnia omnibus locis docere voluit Spiritus sanctus, sed aliud alio, quare nec omnis tua eruditio vno est loco effundenda, etiam si non ineptè possis, quam absurdum est autem, vt malis ad

futilia commenta descendere: aut ea inculcare quibus iam plenæ omnium sint aures: quam non videri satis multa ad cuiusq; verbi explicationem afferre? Peccant in eo alij inepta quadam copiæ ostentandæ libidine, alij exemplo: magis attendentes quid alij faciant, quam quid factu opus sit. Multo etiam maior est occasio curiosa inquirendi ijs qui sacros libros in scholis exponunt. Cum enim multa iam extent in eos commentaria quæ possint ipsi etiam studiosi perlegere, nolintq; doctores inanem aut parum necessariam suam videri operam: vt alienas tantum recitent expositiones, meditationes, argumenta, ipsaq; verba, sed aliquid semper habere quod studiosi in commentarijs non invenerint: præter quàm quod res cogunt suas mutare sedes, quæ vno loco sunt disputata, in alium comportantes: quo suum commendent acumen, aut excogitant obiectiones, quas solvant: aut nova fingunt verba, novasque loquendi formas: aut novas ponunt quæstiones. Præstaret perfectò nullos esse doctores, quam vllos tales, quid enim; fecerint aliud, quam vt Theologicum studium in sophisticam rursus convertant vanitatem, quid igitur faciant? Inquies, quid? profectò quidvis malim: quam vt sic ocio abu-

abuterentur. Quid autem velim aliud, quam vt quæ ſemel beue, commodè, atq; oportuno loco dicta ſunt, ea ne depravarent, ne perverterent, ne inanibus quæſtionibus, tenebras offenderent? Illis & fruerentur ipſi, & paterentur frui alios? Ab alijs bene dicta referre, quam ſuum oſtentare acumen mallent? Si quid autem prætermiſſum fuiſſet, ſicubi viderent ipſi quod priores non vidiſſent: in eo ſuam commendarent diligentiam? Quod peius eſt antem, non ſatis eſt multis quod viva voce ſic doceant, ſed volunt etiam editis magnis voluminibus extare ſua commenta: vt amplior ſit indies argutandi ſeges. Quot extant enim iam in Pauli ad Romanos epiſtolam commentarij? Quotidie prodit in lucem novus aliquis, quiſquis enim eam in ſchola, aliqua cum commendatione exponit, vult commentarium edere. Quamquã ſi quæ ipſe commodius explicat, quam alij, aut quæ addit de ſuo colligas: per pauca ſint. Alia erunt eadem quæ priores aut eundem in locum ſcripſerunt, aut alibi tractarunt. Cumq; de induſtria abſtinere velint poſteriores priorum verbis: illiq; plerunq; præoccupaverint commodiſſimas quaſque loquendi formas, quæ plus redolerent ſpiritus, pluſq; afficerent, hinc neceſſe

fuerit vti minus commodis,& quæ inanem tantum redoleant ingenij oſtentationem, nullumq; in animis aculeum relinquant. Qui iudicio falluntur, videnturq; ſibi non invtilem navare operam, cum eos commonefeceris, eſt quod etiã ignoſcas, ſed quos ad ſcribendum oſtentatio impellit & ambitio, eos ego inter præcipuas eccleſiæ peſtes numerare non dubitaverim, quippe qui non alij quàm ſatanæ ſuam ſceleſtiſſime locent operam. Sed iam ad reliqua pergamus.

SATANÆ STRATAGEmatum Liber Secundus.

DE invtilibus quæſtionibus qua ratione ab vtilibus diſcerni poſſent,& vt vitare eas oporteret,ſuperiore Libro dictum eſt, nunc ſi res quæ in controverſiam vocatur, cuiue contradicitur, haud levis conſtiterit momenti eſſe, quid facere pium hominem deceat: ſequitur vt dicendum eſſe videatur. Atq; hic quidem, ſi ſatanæ aures patefeceris,dubium non eſt, quin daturus ſit operam,vt inde ad ſua cõſilia magnum fructũ capiat. Ita, vt error ille

In magni momenti cõtroverſiis actus Sataneæ.

le non quidem extorqueatur, sed latè spargatur, atque vt quamplurimorum præterea sit quasi semen: vt inde lites, discordiæ, contentiones, sectæ, vastitates, incendia oriantur maxima: itaq; quantum facere enitique poterit, dabit operam, nulli moderato, circumspecto graviq; consilio vt sit locus, sed vt omnia temerè, inconsideratè fiant, nulloq; ordine. Quid porrò faciet hîc Christianns prudensque animus? An sibi scilicet ei obsequendum putabit? An eum sibi deliget ad sequendum consiliorum suorum ducem, autoremq;? Ac non potius summa animi contentione videbit, vt omnia fiant quam prudentissimè? Adeò vt ne vnum quidem verbum (si fieri possit) nisi summa ratione limatum exeat? An non expendet etiam atq; etiam, quid factu opus sit? Hîc hîc prudentia opus est, principiis obstat, dum tenuis est flamma: quòd si ei quid temporis permiseris, atque adeò ligna etiam conuleris: quis demum extinguere incendium poterit? In tempore, inquam, prævidenda hæc sunt. Si quidem impii quid audieris, quam putas fore in corde tuo satanæ orationem? Tentabit fortè, num & apud te in gratiam errorem possit ponere: sed si hac fores clausas offenderit, aliaq; aggrediatur via, hem scelus (inquiet)

quiet) hem hominem dignum quem terra vivum absorbeat, cui potuerit tam nefandum verbum excidere: dignum quem de cœlo descendens ignis corripiat, absumatque: hominum omnium qui vnquam nati sunt nequissimum impurissimumq;. Hæcne quenquam designare, aut cogitare? Qualibus meditationibus si locus sit, quid feceris, dixerisue, quin sexcentorum malorum origo sit, & causa? Heus tu, illud tibi persuadeto, haud esse talium cogitationum authorem Dei spiritum, sed satanam. Cogitationes ejusmodi haud idoneæ sunt quæ tollant malum: sed quæ adaugeant magis ac magis, & deploratum reddant, malo vt medeare: aliud facto est opus. Ac primùm quidem quî scis, an fortè hîc (quicquid videatur) vnus sit ex Dei electorum numero, quem ipse Deus cadere quidem siverit suo quodam occulto, sed sapientissimo amantissimoq; consilio, vt eum rursus multo majore erigat cum gloria? Quem si id esse intelligeres, ergo ne in eum qui esset ad possidendam electorum gloriam, regnique hæreditatem cœlorum destinatus, in fratrem tuum, in Christi membrum, in Dei non modò servum, sed etiam filium, cogitare quicquam posses inhumanius? At enim (inquies) hac quidem ratione & Magistratum

giſtratum furibus, latronibus, ſicariis, aliiſq; facinoroſis hominibus oportebit parcere, quippe cum & illi omnes ex electorum eſſe poſſint numero, ad ſanitatem olim redituri. Reſpondeo. Pius ſapienſque Magiſtratus quum iſtos ſupplicio afficit, haud vllis indulget in eos odiis, ſed officium ad quod vocatus à Deo eſt exequitur: cujus voluntati cognitæ, quicquid ei ſua dictet ratio, parendum nihilominus eſſe intelligit: quemadmodum & Abrahamus, Deo jubente, Iſaac cum filiũ ſuum chariſſimum pariter, atq; innocentiſſimum paratus erat immolare. Interim in eos qui morte ſunt multandi, humanitatis officium nullum prætermittit. Sed addes. Ergone poterunt ejus qui Deum amet aures ipſum in Deum execrandas audire voces, ac quaſi nihil ſe attingerent, non commoveri? Ego vero pium hominem commoveri, ac vehementer commoveri volo, ſed permotionem eam velim eſſe zelum non præcipitem, temeritatiſq; plenum, ſed ratione moderatum optima, cujus non ſatanas eſſet author, ſed Spiritus ſanctus, ſi tibi frater ſit, quem amore perſequare minimè vulgari, aut, ſi mavis, filius: ne ejus quidem periculoſum caſum videre poſſis, quin (præſertim ſi vulnus ex eo grave acceperit) magnopere commoveare,

commoveare, sed quali nam tandem motu? An quo in eum asperis incitere verbis: vt eum maledictis obruas, ac probris? Immò verò accurres: et gesq; eum dexteritate maxima, Iubebis bono esse animo. Nihilq; prætermittes, quod ei levare, aut certè lenire dolorem possit, nulli parces labori: vigil assidebis noctes integras. Quòd si dolor ex vulnere morosulum reddiderit: nihil propterea decedet de tua summa erga eum charitate. Persimilem ergo velim animi tui permotionem esse: vt dolorem accipias tu quidem ex fratris casu: doleas offensum Deum: doleas eorum qui ab eo prava docti sunt, vicem, propter quæ eorum in periculo versetur salus. Sed doloris istius fructus sit, vt coneris, quantum potes malum aut tollere, aut minuere, ac tanquam in re in qua errari sine maximo nequeat periculo, vt videas etiam atq; etiam ne facias, aut dicas quid cujus causa accessionẽ accipere malum possit, immò verò cujus ante certam fructus spem non videris: vellem etiam redderet te idem dolor sollicitum adeò, vt observares diligenter, quod factum tuum, aut verbum, cujus boni fuerit, cujusve mali causa: atq; ita te comparares, vt si quando animadverteres quod bonum in finem feciſſes, malè cecidisse: paratus

ratus esses vel cum existimationis tuæ jactura errorem corrigere.

Tria porrò videntur spectanda: quæ sit ejus ratio habenda, qui errores seminat, quę eorum qui assenserunt erroribus: postremo, quæ eorum quibus periculum est, ne errorum obsit contagio. Ad erroris autho-

Erroris author tractandus leniter & amicè.

rem quod attinet, principiò, quem tibi finem consiliorum tuorum omnium proponas, ac scopum, etiam atque etiam videndum est. Plerique expendentes, quàm pernicioſa res sit in religione error, propterea-que quantopere noceat Dei ecclesiæ is qui errores spargit, nihil satis atrox in eum designari posse putant. Itaque ad primum quodque verbum in convicia probraque erumpunt: atque omnia implent clamoribus in quo mireris quantum sibi placeant, quamve egregiè se tueri Christi causam arbitrentur. Neque sanè apud eos multum interest: sive per ignorantiam falsum aliquis doceat: sive vt suæ serviat libidini. Quinimmò perinde ac si compertum haberent, nihil vnquam ejusmodi nisi malicioſe fieri, neminem nisi tanquam malicioſum seductorem tractant. Hinc illæ verborum formulæ: Non puduit impurissimũ suem hoc & illud effutire, nihil sibi reliqui facit callidissimus versipellis, quo simplices

plices ſuo conficiat veneno: atque aliæ id genus multæ, quarum copia mirum quantopere redundent quidam. Quòd ſi quis vera piaq; ſe docere arbitretur, ac bene ſancteq; facere: propterea q; quibuſcunque rationibus poteſt, ſuos perſuadere conetur errores, plurimum etiam laudis ſibi deberi putet. Quocirca in eum ſi irrueris, ac malitioſe, impudenter ſcelerateq; facere contenderis, maximam ſibi fieri putabit injuriam. Itaque commovebitur incendeturque ira: atq; omnino certum illi fuerit errorem tueri: injurias non tantùm propulſare, ſed cumulatè etiam rependere. Tum autem accedent contraria hominum ſtudia, omniaq; contentionibus, rixis clamoribuſque turbabuntur, vt boni ſequuturum ſit nihil: mali autem plurimum: quare vt tibi eſſe ſcopus debeat, ne juſtam meritamq; effugiat animadverſionem is qui errores ſeminat: multo tamen aliter tractandus is eſſet, qui falſus falleret: atque is qui malitioſe id faceret, neq; verò malitiæ ſumenda pœna eſſet, niſi de malitia conſtaret prius: atque in dubio quidem bene conſtituti eſſet animi, judicio: benigniorem in partem inclinare, vt errorem ſubeſſe, quàm malitiam interpretari mallet. Quin etiam cum ferè magna odia incurrere hominum ſoleant ii,

cala-

calamitateſq; magnas ſibi accerſere, qui nova invehere conantur dogmata, miro ingenio ſit oportet is qui hominum in ſe odiis inſectationibuſq; excitandis voluptatem capere poſſit vllam: vt quenquam id facere credere nemo debeat, niſi vehementer magnis coactis conjecturis, Atq; error ſi ſit, non malicia: equidem ita ſentio, ſi quicquam eſt in quo clementiæ vllus eſſe locus debeat, hoc in genere debere. Eſt quiſpiam Dei timore præditus, quæ vera ſalutariaq; arbitratur, ea dat operam vniverſo hominum generi, ſi fieri poſſit, vt probentur, hîc, ſi homines ſpectes animum, an quicquid in eum deſignaveris durius, non inhumaniter crudeliterq; factum videatur? Is à Deo meliore vel ingenio, vel judicio donatus non eſt, neque ſane majore ſpiritu: illi igitur ſi ſuccenſeas, non tam illi, quàm Deo ipſi qui non meliore eum judicio munierit, ſuccenſere tu quidem videâre. Quòd ſi fructum ſpectas, nihil conducit (vt dictum eſt) minus, quàm iræ, indignationes, criminationumque ac conviciorum plenæ inſectationes. Sed ſi dolus malus inſit, equidem lubens fatebor, nullam animadverſionem, nullamq; pœnæ ſeveritatem excogitari poſſe tantam, vt non ſit tanta ſceleris immanitate multis partibus minor,

vt

vt quempiam nihil Dei reverentia, nihil populorum salus moveat, sed dum suæ satisfaciat libidini, omnia susq; deq; habeat. At vero vt magna quis dignus animadversione sit: haud expedit tamen statim in eum pro meritis animadvertere. *Quidvis mihi licet* (ait Apostolus) *sed non quidvis expedit.* Quare videndum est etiam atque etiam, quid expediat maximè, quam haberi personarum rationem oporteat, quid locus postulet, quid tempus: quæ videre ira, aut alia quapiam permotione turbatus animus non potest. Ira quippe caliginem oculis offundit, hebetat judicium, turbat depravatque denique deterrima est ad res omnes, omniq; tempore consiliaria. Dignus sane sit quispiam qui lapidibus obruatur, qui frustatim laceretur totus, judicio id fieri poterit Magistratus sine ira, sine insultu, sine convicio. Hisce enim affectionibus, omnisq; recti judicii veris hostibus quid est opus? Fietque multo majore & gravitate & fructu: ac videatur non ab hominis libidine, sed à ratione ipsa potius profectum. Quare etiam severitatis illius exemplum multò majore vi hominum imprimetur animis. Curare autem hæc oportet, vt qui seducebat populum, ne seducat amplius, patiaturq; veritati locum esse; qui

seducti

seducti fuerant, vt ad sanitatem redeant: qui sani adhuc sunt, vt sint adversus erroris cõtagium præmuniti. Addendum, ne sit etiam, vt iusta animadversione quasi fræno quodam male feriatorum ingeniorum cohibeatur licentia, quominus quicquid in buccam venit, effutiant, postea videbimus: fieri etiam potest, vt quosdam velit Deus objurgari acerrimè, vt in novissimo die & minus excusationis habeant, & majorem subeant judicii severitatem: verum vt nemini ex omnibus qui talium sint in numero compertum esse potest, ita nemo est cui sit ejusmodi habenda ratio, si quos voluerit Deus ita objurgari, excitabit etiam qui id faciant, tantùm cavendum est, ne nos à satana seduci, nobisque ejus instigationes pro Spiritus sancti obtrudi afflatibus sinamus.

Sed vt qua ratione malitiosum seductorem à seducendo populo abducere possis, intelligas, considerandum illud est, qui tãtum scelus admittere in animum induxerit, eum oportere egregiè impium esse, atq; omnis timoris Dei expertem, de eo, igitur sive præsente, sive absente si ea dixeris quibus sit dignus, si eum suis depinxeris coloribus, atque is mox abstinuerit, quid illud erit? Annon videbitur palam fateri, quæ cri

mina ei adscripseris, eorum se omnium reum esse? Tu igitur ab homine in quo Dei timor nullus sit, tantam tibi promittere animi moderationem possis? tantam remissionem? An non verisimilius est multò, fore vt crimen omne depellere ab se conetur, multoq; plura in te conferat? Non potius die noctuq; suum fatigabit ingenium mendaciis calumniisq; excogitandis, quibus tuum infamet nomen? Quid est autem à vero tam alienum, vt non id astuta oratio probabile videri faciat? Cumq; hinc inde crescant paulatim iræ atq; odia, cum audiantur vtrinq; vehementes quotidie criminationes, scindatur populus studia in contraria, quid assequi inde possis, cuius sani judicii hominem non vehementer pœniteat? Si qua igitur spes est (quæ tenuis est) hominis ejusmodi ab incœpto avocandi, haud est in eo sita, si ejus prodas accusesq; malitiam, sed in eo potius, si fraudem malitiæq; omissa mentione omni veritatem primum ita tueare, itaq; perspectam reddas, vt palpari penè possit: deinde vt id facias dexteritate mansuetudineq; summa: nam cùm perdifficile impetratu est ab homine scelesto, ac nefario, vt victus videri velit, atq; errore lapsus, tum verò ineptè speraveris fore, vt videri velit etiã per summum

mum scelus sciens ac prudens fucum populo feciſſe. Sed & iis qui ſeducti ſunt ab errore deducendis, quid conducant probra in erroris authorem jacta, equidem non video. Ferè enim fit, vt qui cujuſquam dogmatibus aſſentitur, ſimul eum charitate quadam complectatur, veneretur, laude atque honore dignum judicet, vt ſi dehoneſtare eum conviciis inſtitueris, inſignem te illi facere injuriam dicturus ſit, alienoque propterea abs te animo futurus. Quis autẽ neſciat benevolentiam aut odium, aliaſque animi permotiones plurimum poſſe inclinando hinc, aut illam in partem judicio? Certè id fuerit aliud nihil, quàm ei vtrãq; obturare aurem, quo minus te vel audire poſſit. Neq; verò intelligo, cui admodum majori id vſui futurum ſit præmuniendis ijs qui adhuc ſint incorrupti. Convitiis enim criminationibuſq; referta oratio vix eſt vt non ab ira, vehementive animi motu aliquo, proficiſcatur, motus autem ejuſmodi vbi fuerint, mirum, ſi ſatis circumſpectè omnia dicantur, ac non multa peccentur potius, aut perperam ſeductoris verba referendo, aut ejus argumentis, non ſatis aptè reſpondendo, quibus ex rebus (vt oſtendimus) magna ſequuntur incommoda. Neque ſanè deſunt multi quos maledicentia

omnis,ſive juſtum prætextum habeat, ſive injuſtum,offendat,atq; in quo vllum animadvertunt maledicendi ſtudium,de eo male opinentur, animumq; ab eo alienent. Quod quid aliud eſt, quàm procliviores reddi ad iis aſſentiendum, quos tu probris deformare omni ſtudio contenderis? Præſertim ſi quam illi modeſtiam patientiamq; callidè & verſutè ſimulare noverint. Equidem non negaverim apud nonnullos etiã tantum valere criminationes, vt quos illæ tangant, eorum tandem ne nomen quidem audire ſine horrore poſſint, tantum abeſt, vt ab iis jam ſeduci ſe paſſuri ſint:ſed id ferè tum demum accidit,quum criminatores in magna ſunt integritatis,ſanctitatis innocentiæq; opinione,vt nulla cauſa, nullaque ratione ad faciendam cuiq; injuriam adduci potuiſſe videantur,quam populi conſtãtem de te opinionem multò facilius tibi falſo arrogaveris,quàm obtinueris. Sæpe enim ne ipſi quidem ſatis intelligimus, quo ducamur ſpiritu,atq; innocentiſſimus vt ſis; quis impetret vt non multa ſanctiſſimè deſignata malam in partem vulgo accipiãtur? Atq; illi ipſi qui accuſatis propter criminationes fidem omnem abrogarunt, idem, vt par eſt,feciſſent,vbi iis audiẽtibus ſine vllo maledicto fuiſſent eorum dogmata relata,

&

& argumentis testimoniisq; firmissimis certissimisq; humanè candideq; convulsa.

Hactenus ergo palàm factum est (vt videtur) ex maledictis permulta, maximaque sæpe incommoda creari, vtilitatem autem eorum esse aut nullam, aut perexiguam, quæ tamen & ipsa aliunde percipi multo possit certior. Superest solùm, vt de ea dicamus ratione, quòd hoc quasi animadversionis genere cohibeantur novorum dogmatum authores, atq; illud quidem primùm intelligendum est, nos hoc loco de Magistratus officio non agere: privati hominis hic officium persequimur, atque ejus etiam, cui sit populi ad pietatem commissa institutio. De magistratu dicemus postea. Quare cum animadvertendi in quenquam potestas cujusquam non sit, præterquam civilis Magistratus, cavendum est aliis, ne manum in messem mittant alienam. Egregius citatur Ciceronis locus ex quarto de Republica in hæc verba: Nostræ contrà duodecim Tabulæ cum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putaverunt, si quis actitavisset, sive carmen condidisset, quod infamiam faceret, flagitiumve alteri. Præclarè, judiciis enim, ac magistratuum disceptationibus legitimis propositam vitam,

non poetarum ingeniis habere debemus: nec probrum audire, nisi ea lege, vt respondere liceat, & judicio defendere. Qua sanctione quid vel cogitari posset æquius? Quæ vetet probrum audire quenquam nisi ea lege, vt respondere liceat, & judicio defendere? An verò contemnenda quædã res est fama, vt cujusquam libidini exposita esse debeat? Si is qui rerum potitur, ita se comparet: vt quos libuerit infamia (vel si justa alioqui id causa faciat) indicta causa notet, quis eum regem, ac non verius tyrãnum dicat agere? Ergo quod ne summus quidem magistratus facere, nisi per apertã potest tyrannidem, id licuerit vel privato cuiquam, vel ei cujus sit ad omnem honestatem, atq; moderationem non tam verbis quàm suo etiam exemplo populum instituere? Est quidem ecclesiastici pastoris reprehendere, objurgare, increpare, veruntamen facere id debet non tanquam hostis, sed tanquam pater, quatenus videlicet ad emendationem procurandam, vel opus sit, vel prodesse possit. Atqui animadvertendi in quenquam potestatem meminerit non sui esse muneris, sed magistratus, atq; vt id ad se contendat pertinere, quo tamen eventu prædictum in finem ea sit vsurus, videamus. Equidem non negaverim, multos eorum

In objurgationibus absit acerbitas omnis.

eorum perculsos exemplis, quos vident indies hac ratione in summam adduci cum invidiam, tum ignominiam, minus audaces fieri iis proferendis quæ sæpe curiosa suggerunt studia: verum nisi eorum qui tali vtuntur animadversionis genere omni vacet vita non modò vitio, verum etiam suspicionis, ac nisi eorum omni in re conspicua sit sanctitas atq; innocentia, vt divinũ quid referant potius, quàm humanum, minimè multum hac quidem ratione profecturos putem. Perinde enim accidet, atq; si quis aggeribus aquas cohibeat: nam illæ quidem parêre paulisper videntur, cursumq; sistere, sed tamen vndiq; exitum perquirent, aut certè altius sublatè exundabunt, tandemq; aggeribus corrosis ruptisq; magno impetu erumpent, ac vastitatem facient multis partibus majorem, quàm si impedita libertas initio non fuisset: nam cujus ejusmodi fræno cohibetur libertas, paret ille quidem aliquandiu, sed ægre fert, viruſq; paulatim colligit, quo cum plenus est, effundat oportet, tantoque exitiosius, quanto continuit diutius: si quidem odiũ in eos quos sibi tanquam tyrannos imminere arbitratur, facit: vt quicquid illi sentiunt, ipse facilè aversatur, abomineturq;. Itaque omnibus quibus potest insidiis dat o-

peram: primùm vt modò hos, modò illos avertat, ſuarumq; faciat partium: atq; ita paulatim creſcit malum, colligitq; vires: vt tandem non vereatur ſecta ſe prodere, ac rempub. turbare: cujus rei cùm alia multa, tum recens admodum Monaſterienſis ſeditionis exemplum ampliſſimum eſſe documentum poteſt. Mirum eſt autem, quibus artibus ſatanas hoc hominum genus inſtruat, quibuſq; ſucceſſibus eorum promoveat inſtituta: quod ſi cõſideratius perpenderent ii qui in probris multum eſſe arbitrantur poſitum præſidii ad conſervandã doctrinæ puritatem, iis fortaſſis multo delectarentur minus. Deniq;, ne longum faciam, vt non negaverim acerbitati in objurgationibus locum eſſe nonnunquam oportere, ita etiam contendo, perrarò ea concurrere omnia, quæ, vt percipi ex ea vllus fructus poſſit, requiruntur. Atq; vt miſſam faciam fructus rationem, valde magnũ mirabileq; eſt exemplum illud quod Iudas in Can. commemorat: *Michaelem Archangelum, cum eſſet de Moyſis corpore contentio, non auſum fuiſſe maledictum ipſum in ſatanam conijcere, ſed optaſſe tantum eũ vt obiurgaret Deus.* O nos temerarios, quãto majore audemus perſæpe non in ſatanam (quæ tamen permagna eſſet arrogantia, vt nobis

nobis plus sumere vellemus nos, quam sibi sumendum Archangelus putaverit) sed in homines Deo forte haud minus charos quam ipsi simus. Hoc vnum exemplum si perpendamus, tum autem cogitemus quãta licentia nos mutuo maledictis proscindamus, næ egregiè cæcum esse oportuerit eum qui non videat hanc omnem maledicendi consuetudinem non ab alio profectã spiritu, quam satanæ. Sed quoniam dictum est, quicquid fiat ad vllius erroris qui spargatur famam, quem ad finem referentur omnia, videndum esse, interq; alia, dandam, operã vt qui errore duceretur, ab eo avocaretur, neq; ad id quicquam prodesse vel maledicta, vel vllos insultus, quin potius obesse maximè, quod ergo optimum factum sit, sequitur vt indagemus.

Seductor quo pacto sanandus.

Duo sunt autem quæ ad id requiruntur, hinc demonstrationes eiusmodi, quæ apud hominem eo animo, ijs imbuto persuasionibus quibus est is qui errat, vim habeant erroris patefaciẽdi, illinc autẽ, vt is iudicio integro ac sano demonstrationes eas expẽdat. Quòd si aut demonstrationes parum erunt ad hominis intelligentiam accómodatæ, aut ille eas non expenderit, aut id fecerit judicio contaminato corruptoq; propositi

positi nostri finem non assequemur. Tum porro iudicium sanum incorruptumq; fit, quum id Deus suo spiritu sanauerit, reddideritq; veri capax: prætereaq; quũ nullis est suspicionibus, nulliſq; animi permotionib. vexatum. Quare nihil hic tantopere est vitandum, quam ne quid excidat, aut facias, quod eius vulnere possit animum, atq; abs te alienare, quod genus est verbum omne, quod significationem vllam habeat alienatæ ab eo tuæ voluntatis, quod eũ pungat aut accuset, siue fraudulenti consilij, siue ignorantiæ, siue impudentiæ, deniq; quod ei quamlibet invrat notam. Quinimo omni est humanitate officioq; ad mansuetudinem, moderationem, benevolentiamque provocandus, cuius humanitatis nullus esse melior magister poterit vna charitate, sed ea sincera, minimeq; ad ostentationem composita, quam nisi intelligis tibi inesse, haud aggredi quicquam te oportet ante, quam eam sis adeptus. Quod si nihil vides in homine quod tibi eum conciliet, considera quot quantaq; in Deo sint eiusq; filio vnigenito cuius hic est opus. Nisi eum Deus in viuis esse voluisset: aut natus esset nũquam, aut statim obijsset, aut certè tandiu non vixisset, nunc autem vides: vt eum

Deus

Deus alat, vt illuceſſere illi ſolem velit æque ac tibi: vtq; mille modis eum ſuæ infinitæ participem faciat beneficentiæ bonitatiſq;. Tu ne ergo eius ſervus contrarios tibi in eum animos gerendos putes? Qui ſcis enim (vt iam dictum eſt) num forte ſit vna ex Domini oviculis, quæ tametſi in præſentia procul aberret à grege male ſana, tamen ſit tandem à paſtore optimo & invenienda, & curanda,& ad gregem deducenda? Quod ſi ita ſit: an non intelligis, ipſum eſſe Dominum, qui ſub eius perſona tibi infirmus, peſſimeq; habens occurrit: tuæ vt periculum faciat charitatis, quam in noviſſimo die poſtea commemoret? cumq; tuum non ſit judicare,ſit, nec ne ſit: ſatis tibi eſſe debet, fieri poſſe vt ſit, vt quocunq; eum proſecutus officio fueris,illud Dominus tanquam in ſe collatum tibi acceptum ferat. Non igitur eius ſpectés perſonam, ſed ipſius Chriſti quem refert: memineriſq;, quàm mirifico is amore in te fuerit: quippe qui gravatus non ſit ipſe iuſtus,atq; innocens pro te iniuſto maximorumq; delictorum reo mortem obire, præſertim tam ſævam atq; cruentam. O ſi de homine quopiam ſuſpitio eſſet vlla, fore vt aliquando in regem, optimumq; regem evaderet, vt præſens fortuna humilis obſcura-

ſcuraq; videretur, quam tamen non contemneremus eum? Aut quanta potius veneratione proſequeremur? At vero quid eſt regium decus, faſtigiumq; : ſi cum ea conferatur dignitate, ſplendoreq; qui Dei electos manet? Et hominem igitur quem neſcimus an forte ad illam ſit natus gloriam: noſtra indignum cenſeamus humanitate atque benevolentia? Fuerit etiam haud parvo adiumento ad conciliandum tibi hominem eiuſmodi, ſi in te ipſe deſcendens ad diligens, rigoroſumq; examen tuas omnes revocaveris actiones, vitamq; & cogitationes, eaſque ad divinorum præceptorum normam exegeris. Quod ſi te quoque coram Deo maximis quamplurimiſq; fœdatum culpis offenderis, ac nihilominus ſpem bonam alas, fore, vt non ſeverè tecum agat, neque in te pro meritis animadvertat, quinimmò tanquam clementiſſimum patrem ac Deum ſeſe gerat erga te, quid eſt quod non eandem clementiam contingere illi poſſe ſperes? Ac quemadmodum propter eam ſpem, nequaquam is tibi eſſe videris qui contemni debeas, quid cauſæ eſt, quamobrem non & de alio in ipſum cenſeas? Cum meditationibus porro huiuſmodi frequentes ardenteſq; ad Deum preces coniungendæ ſunt, vt is cor tuum e-

molliat

molliat, & in eo ſua manu veram vivamq; ſerat charitatem, quam vbi impetraveris, ea magiſtra tam aptos appoſitoſq; cum fratre agendi modos diſces, vt mirum ſit, ni breui eum ad ſanitatem revocaueris. Cumq; divinas res aſſequi nemo poſſit, niſi divino adiutus ſpiritu, ante quàm diſputationem aggrediaris vllam, precibus à Deo contendes, adiunctis etiam ad id pijs aliquod viris alijs, vt erranti adeſſe velit ſuo ſpiritu, eiq; cor aperire ſimul atq; oculos ad veritatem agnoſcendam, quin etiam eum, vt idem petat, hortaberis.

Argumentis ad rem & hominem idoneis.

Demonſtrationes ſane tunc vim habent illæ quidem verũ patefaciendi, quum earũ eſt author Deus, quemadmodum ſcriptum eſt, *Talia ego vos lingua ſapientiaq; inſtruã, vt nemo reſiſtere vobis poſſit.* Itemq; *: Tanquam de cœlo deſcendit pluvia & nix: neque eo revertitur, quin potius madefacit terram, mollemq; reddit, & vt germinet facit, fructuſq; ferat, ac panem ad victum ſuppeditet, ita erit verbum meum quod exore meo profertur, haud redibit ad me inane, ſed perficiet quod ego voluero, proſpereque cedet ijs ad quos illud miſero,* Quod cum ita ſit, hic item neceſſariæ ſunt preces ad Dominum, vt non ſolum referet erranti cor: ſed etiã vt ea tibi dictet verba, quæ ſint

Luc. 21.
Eſa. 55.

ad

ad veri demonſtrationem quam aptiſſima. Quod niſi abſurdum eſt, aliquem etiam locum ijs artibus relinquere, quæ tametſi humanæ appellantur, nihilominus ſi ijs haud aliter vſus fueris, atq; is qui & ſerit quidem, & irrigat, incrementi autem ſpem omnem ſolo in Deo collocat, quin dei dona ſint, negare nemo poteſt, addam etiam, demonſtrationes eas vim habere perſuadendi: quæ è rebus notiſſimis, velut locis divinarum literatum maximè perſpicuis, quæq; pluribus intelligi modis nequeant ducto initio, ordine certo, perpetuoq; filo, nullo prætermiſſo medio, aut tranſpoſito propoſitam ad rem perveniunt, aut certè ab ea exordiuntur ſententia, quę ſubvertenda ſit, atq; alia quapiam extra omnem poſita controverſiam, gradatimque conſecutiones colligunt, dum ad magnum aliquod abſurdum deduxerint, quod cum defendi nulla ratione queat, falſi aliquid poſitum fuiſſe non poſſit, qui cum res eſt, non fateri, præſertim ſi id fiat verbis, loquendiq; formis minimè obſcuris, aut ambiguis, aut perplexis, verum perſpicuis, claris atq; vſitatis. Quod tamen (vt quod res eſt dicam) præſtare perpauci poſſunt, propterea quod mire pauci ſint qui non multo plus velint tum dicere tum ſcribere,

quàm

quàm meditari. Non satis est autem, si quam attuleris rationem, ea tibi ad rem accommodata esse videatur, sed ad eius ipsius qui persuadendus est tum ingenium, tum iudicium accommodata sit oportet, exempli gratia. Cum tu Originis fortè anthoritatem tanti facias, vt ei omnino fidem adhibendam censeas, si quidem locum eius quempiam attuleris, quo loco tuæ palam suffragetur sententiæ, tibi quidem testimonium illud belliſſimè ad rem facere videatur, sed si is qui cum res est, parum fidei Origeni, aut nihil adhibendum putet, eo testimonio nihil egeris, neq; sanè plus profeceris, si cum Turca, aut alio quopiam religionis nostræ hoste divinarum literarum egeris testimonijs. Idem fuerit, si, cum argumentis certandum sit, ea sumpseris, quæ etsi tibi quidem sint certissima, adversarius tamen persuasa nondum habeat. Sumenda sunt enim, non quæ tibi tantum, sed quæ & illi sint certa. Idem etiam fuerit, si argumentationis partem aliquam tibi quidem cognitam, sed adversario non item subtiçueris. Vt si dixeris, non esse sacerdoti recensenda delicta: quod Deus id minimè mandauerit: neq; quicquam addas; qui enim nondum novit: atq; etiam, cum nondum in promptu est, ea tantum nos

ſervare oportere, quæ Deus ipſe mandaverit, ea ratione nihil movebitur. Similis, ſed multo obſcurior Ciceronis locus eſt in Lælio: cuius hæc ſunt verba: *Negabat Scipio, vllam vocem inimiciorem amicitiæ potuiſſe reperiri, quam eius qui dixiſſet, ita amare oportere, vt aliquando eſſet oſurus. Nec verò ſe adduci poſſe vt hoc (quemadmodum putaretur) à Biante dictum eſſe crederet, qui Sapiens habitus eſſet vnus è ſeptem, ſed impuri cuiuſdam, aut ambitioſi, aut omnia ad ſuam potentiam revocantis eſſe ſententiam. Quonam enim modo quiſquam amicus eius eſſe poterit, cuius ſe putabit inimicum eſſe poſſe? Quin etiam neceſſe erit cupere, & optare, vt quam ſæpiſſime peccet amicus: quo plures det ſibi tanquam anſas ad reprehendendum. Rurſum autem recte factis, commodiſq; amicorum neceſſe erit angi, dolere, invidere:* hactenus Lælius. Mirari enim quis poſſit quomodo & Biantis dicto hæc ſequantur abſurda: forte non miraturus, ſi integra eſſet argumentatio. Atque vt intelligas qua ratione moueri quis poſſit, quaue minus, optime cognitum habeas oportet, quid ille dicat, quid ſentiat, tum etiãm (præter rem quæ ſit in controverſia) quibus nam aliis imbutus ſit opinionibus, quæ maximè perſuaſa habeat, quoue ſit iudicio. Nihil eſt autem

tem

tem tam ſolenne in controverſiis,quam vt alter alterius cavilletur verba,eliciatq; abſurdi aliquid.Ex quo fit plerunque, vt impugnetur non id quod dicitur,ſed id quod falſa interpretatione tibi confinxeris,quod quid eſt aliud, quam adverſario (vt diximus) ſtomachum mouere, eiuſq; confidentiam confirmare,ac pertinaciam, tibi autem ad ſexcentas ineptias effutiendum feneſtram aperire, quæ ad rem faciant prorſus nihil? In quo imperitos quis imitetur medicos, qui morbo parum diligenter explorato,minime appoſita deſcernunt medicamenta, ægrotoſque, cum curare deberent,necant.Et ſibi tamen multi veheemter placent,ſi perperam acceptis verbis magni alicuius abſurdi inſimulare adverſarium poſſint- Verum hæc quidem conſuetudo inanibus eſt ſophiſtis relinquenda, hic rebus videlicet tam gravibus tractandis, ne ſit tibi illud propoſitum, vt quacunque ratione videare errorem expugnaſſe, verum id conare, vt re ipſa expugnes, nec adverſario quicquam relinquas quod hiſcere quidem poſſit, quod ſane nunquam continget, niſi diligenter videas, vt alterius verba recte aſſequare. Quod ſi quid vehementer abſurdè dici videatur, eò cavendum eſt magis: ne non ſatis aſſequu-

tus sis, potiusque petenda explanatio sit quam exagitandum absurdum nondum satis certo, vtrum aduersarij ea fuerit sententia. Ac si quidem coram habeatur disputatio, in eo plerunq; peccatur maximè: quod ex primo quoque verbo quid sibi alter velit, diuinare se probe persuasum quisq; habeat, vt respondere omnino, antequam ille dixerit, velit: ex quo fit, vt clamores excitentur, iræ accendantur, neq; quicquam proficiatur prorsus. Mittenda est ergo diuinandi hæc temeritas: expectandumq; respondendi tempus. Alij allato argumento quopiam triumphare ante partam volunt victoriam, neq; expectare possunt, dum alter respondeat. Cum enim effugium ipsi videant nullum, neminem videre posse certo putant. Apage sis cum ista leuitate, non enim videmus omnes omnia, nam vt plus videas tu quam ego in rebus alijs omnibus, quid mirum, si ego fortè plus in hac vna quam tu? Quid feceris autem tua ista importunitate, quam vt insignem arrogantiam, insolentiam morositatemque ineptè prodas tuam? Si profanis in rebus experientia magistra proverbij locum obtinuit illud.

Et quandoq; bonus dormitat Homerus.

& illud.

Sæpe

Sæpe etiam est stultus valde oportuna loquutus.

Quid in divinis fiet, de quibus testetur veritas, *ita placuisse cœlesti patri, vt arcana sua sapientibus celaret; infantibus autem tactantibusque palam faceret?* Videre est autem, si adversarius animaduertat te suam mentem assequutum, nimirum quid sentiat, quibus persuasus rationibus id sentiat: videatq; nihilominus contradicere paratum, vix fieri posse, vt non de eius confidentia decedat plurimum. Antè persuasus erat, si modo satis intelligerentur eius commenta, neminem non assensurum, iam autem cum videat qui ea intelligat, neque tamen assentiatur, miretur necesse est. Quod quid aliud est, quam aliquam adduci iam in dubitationem, ne non satis firma sint quæ tenet? Simulq; hinc desiderio accenditur intelligendi, quid nam contra, quod obijcias, habeas: quod desiderium idoneum ad intelligendum reddidit, quò quum ventum est, parum abest, quin iam confecta res sit. Me quidem igitur authore, in errore depellendo ille præcipuus sit labor: vt quid dicatur, optimè intelligas ex eius qui verba protulit mente: non quomodo interpretari arguto cavillo verba possis, quinimmò si verbis facienda vis sit

aliqua, vt authoris ſerviant menti fieri multo malim, quam vt alio trahantur. Inter alia, male interpretandis alterius verbis aliud peccatur ſæpiſſimè, quod cum animis noſtris ita ratiocinamur: ſi eſſet id quod iſte ait, hoc & illud inde ſequeretur, atque ita quæ conſecutiones ſunt noſtro collectæ iudicio, eas noſtris tribuimus adverſarijs, quaſi illi ita enunciarent, tempuſq; omne teremus ijs refutandis quæ fortè ne cogitarunt quidem vnquam, quo tum eos irritamus, tum nos etiam riſui exponimus, quod planius vt fiat, tali vtemur exemplo, Propterea quod Pontificij dicant, oportere delicta poſt ſacram admiſſa ablutionem expiari aut bonis noſtris operibus, aut poſt obitum purgatorio quodam igne, ſi nos ita colligamus. Si neceſſe eſt delicta vlla expiari noſtris ſiue operibus ſiue cruciatibus non igitur ea deleuit Chriſtus, non igitur impleuit id ad quod miſſus fuerat, vt *diaboli opera aboleret*, ac propterea referamus, Pontificos negare Chriſtum id impleſſe ad quod miſſus fuerat, eatenus quidem vera noſtra fuerit oratio, quatenus quodammodo id illi negant, quia videlicet ex ijs quæ ponunt hoc ſequatur, ſed plane vera non fuerit, quatenus expreſſe id neq; ponunt, neque forte ſentiunt, itaq; ſi multis

tis verbis increpare eos pergamus, propter consecutiones eiusmodi, quasi eorum essent positiones, nos insanire dicent. Quid igitur facto opus est? Vt referamus quod dicunt, nihil addentes, nihil detrahentes, nihil immutantes. Quod si absurda ex eorum sequantur verbis, ea colligenda sunt eum in finem solum: vt falsum esse quod ponunt, palam fiat, hic candor dignus est qui ametur, quæcunq; tandem tractetur res: sed Christi discipulos divinis de rebus differentes tam decet, quam quod maximè.

Ab omni autem Christiano congressu prorsus abesse vincendi studium oportet; vnus enim sit scopus, vt vincat veritas, per te autẽ, an per quemvis alium palã fiat, nihil interesse putes: satis bono loco tuũ nomẽ fore statue, si cõstet Deo sua gloria, ad quãplurimum pertineat vindicata ab impostu-ris veritas. Quare si quidem ita accidat, vt ipsa ex disputatione innotescat tibi quod latebat ante: cave pudeat agnoscere, quis ille sit cui cedere oporteat, nihil cures. Maxime honorificum esse intelligito, à Deo doceri, per quẽcunq; tandem id fiat, illos sanè pudeat, qui discunt nunquam, si eius quo Deus tanquam instrumento vsus fuerit, ad te docendum pudet, scio te non hominem

Sed id semper age, vt vincat (non tua opinatio sed) veritas

contemnere, sed Deum, cuius severam vindictam, nisi reverenti animo oblatam amplexus gratiam fueris, haud effugies. Cæterum quominus in eo difficultatis, quum res posset, experiâre, per quam optimè consultum fuerit ea sedulo vitare, quæ difficultatem augere hanc possint, quod genus est, si magna confidentia quid asseueris: vt si testatus sæpe fueris, magni te aut piaculi, aut sceleris, aut etiam dementiæ loco habiturum, si quis ausus fuerit contradicere, si dixeris vehementer stupidum esse qui id non videat, & similia. Grave enim admodum fuerit postea, tam longe videri à scopo aberrasse, quare præstat multo circumspectè semper loqui, non vt hæsitare semper videare, (laudandum enim id non esset) sed vt quæ vera videntur, ea simpliciter asseras, quæ non videntur, neges eodem modo tum autem hanc aut illam in partem argumenta testimoniaq; afferas, tantum formulis illis, quæ impietas sit? Temeritas? Quæ impudentia? Aut quæ stupiditas, hoc vel illud dicere? Et similibus, abstineas. Mathematici firmissimis certissimisque vtuntur illi quidem demonstrationibus, verum apud illos tale verbum invenias nullum, nihil enim ad demonstrationes aut perspicuitatis addunt, aut certitudinis,

dinis, si liberum nobis esse potest, veriorem, quandocunque patefiat, sententiam amplecti, quid nobis quasi legem indixerimus tali verborum temeritate falsæ perpetuo magna pertinacia adhærendi? Huc pertinere videtur Solamonis consilium illud: *Cane luti implicere, ne si sorte succubueris, pudore suffundare, neque quid facias satis certum sit.* Prov. 25. Ac cum scire in quibusnam erremus, vt de ijs cauta nostra sit oratio, haud possimus, quæ cautio necessaria in ijs fuerit, eam quum opus erit, vix adhibuerimus vnquam nisi consuetudinem nobis adsciverimus, quacunque de re sit sermo, verborum formulas eiusmodi tanquam periculosissimos quosdam scopulos vitandi. Auget etiam mirum in modum prædictam difficultatem, si adversarium magno habueris cótemptui, quocirca multo vt honestius, ita etiam prudentius faceris, si qualiscunque tandem contingere adversarius videatur, intra humanitatis te cõtinueris limites. Et si ab omni prorsus contemptus significatione abstinueris. Ac quoniam quicpuid tandem facias, vix assequare, vt non vehemẽter repugnante genio victus videri velis, oportet ad causas eiusmodi optimè munitũ esse animũ, efficaci videlicet ratione quapiã animo frequẽti me-

ditatione impressa neq; sane efficacior vlla occurrit illa: vt meminerimus vitam hanc omnem vno durare momento, fabulæ persimilem, in qua introducantur principes viri, reges, servi, matronæ, ancillæ. Finita enim fabula, hystriones personis illis depositis aut pares sunt, aut nonnunquam qui in fabula rex fuerat, humilioris erit fortunę, quam qui fuerat servus. Quod si hystrionum aliquis graviter eas partes agere, quibus minus ei honestus contingat locus, malitq; eius incurrere indignationem qui eum extra fabulam & sublivere inopem amicus, & inimicus affligere tota vita possit, non omnes clament, prorsus insanum eum esse, quod pluris faciat vanissimũ vnius horæ fumũ, quàm tot vitæ commoda? An vero non hic eadem est amẽtia, aut etiã multis partibus maior? Sis victor an victus, quã diuturni tẽporis fuerit siue gloriola, siue dedecus? Sed si veritati sciens restiteris, propterea q; tibi Deum infensum reddideris, quid de te fiet infelix? Forte tua peruicacia factum fuerit, vt oppressa maneret veritas: idq; in numerosissimi etiam populi perniciem, vt totidem futuri sint velut acerrmi accusatores tui: quot eius rei causa perierint, quis non hæc cogitans contremiscat totus? Valeat igitur, valeat hæc omnis pervicacia

cacia: certumq; cuiq; sit dignitatis suæ hoc in genere rationem habere nullam: sed in eo esse totum, vt in omni controversia vincat Christus: Neq; curet mundi vel excrementum fieri, dum in omni re Dei nomini sua constet gloria. Pungit videlicet te, si ei permittenda sit victoria, quem fortè paulo antè præ te nihil esse existimaveras. Itane verò? Atqui nonne aliud tibi certamen est cum satana multo maximum? Ille scilicet te tanquam arcem quandam sibi omnibus machinis, omniq; conatu oppugnandum delegit: abs te autem tui suscepta defensio est. Nunc ergo si cognitæ veritati per impotentem animi elationem reluctatus fueris, non arcem prodes satanæ? Non tu te hosti & tali hosti dederis quam turpissimè? Atq; in ipsius etiam imperatoris tui (quem clam esse nihil potest) oculis? An verò nihil hîc sit quod pungat? Expendendum est autem etiam atque etiam, qualis hîc detur optio. Duplex certamen est: nec datur vtrobique potiri victoria. Si illic victorem esse veritate oppressa, certum est, hoc in certamine quod cum satana est, succumbas oportet. Sin hîc succumbere nimis grave est, illic nonnihil cristam demittas necesse est: quod quo adhuc minus difficili facias animo: & illud considerandum

est

est, nequaquam tam turpe visum iri aliis atq; tibi, si succubueris: quis enim nescit; at hominis nihil tam proprium esse, quàm hallucinari? Ac omnino quidem cum vlla sit controversia, illud expectetur, vt pars altera succumbat. Haud igitur vehementer mirum sit, si tu magis victus fueris, quàm adversarius: atque vt sit dedecus vinci; at maxima dignum laude est, atq; ad conciliandam maximam bonorum omnium benevolentiam valde aptum, si eo sis candore, vt cognitæ veritati haud invitus cedere paratus sis. Quare si de eruditionis tuę opinione ac fama (si qua sit) decedere aliquid oporteat: at illud cumulatè compensetur bonitatis laude, quam multò pluris faciendam esse ex eo facilè cognosci possit, quòd eruditum hominem, sed iniquum (si quidem cognoscatur) nemo non abominetur: virum autem bonum, quanquam nulla omnino eruditione, omnes amore, atque etiam laude dignum putent. Neque verò persuadere tibi debes, ni ipse sponte cedas, victum te fuisse haud cognitum iri: immò verò quo reluctatus fueris magis, eo majorem adversario dederis causam, pervicaciam iniquitatemq; tuam efferendi: eoq; etiam pluribus minimè commodis de te sermonibus materiam dederis. Vt tandem

em neque tuæ eruditionis tueri nomen ueas: & nequissimæ pervicaciæ notam inidiamq; subiturus sis. Hæc si meditatus ssiduè fueris: mirum ni de innata animi mpotentia decedat plurimum. Vt quum es postulaverit, æquioti animo passurus sis eritatem vincere.

Disputationem ingressurus superbiam pelle, indue modestiam.

Ac cum vehementer etiam difficilè sit, n controversiis non & irritari, & irritare: landa opera est, vt persimilibus meditatiohibus, quasi medicamentis quibusdam, ita præparetur animus, ne quid committatur ejusmodi. Quapropter disputationem ingressuro perinde faciendum tibi sit, atque fortissimo cuipiam viro, & cautissimo in singulare certamen descensuro: is enim omnes feriendi cogitabit artes: & ad singulas rationem præmeditabitur defensionis. Ad hæc cogitabit, quas corporis partes minus armatas habeat: aut in quibus majoris sit vulnus periculi futurum, vt illis circumspectius caveat. Tum autem animum in certamen ita exacuet, vt constitutum deliberatumq; habeat, aut vincere, aut mortem fortiter oppetere. Sic cogitandum tibi cum animo tuo est, quicquid inter disserendum accidere tibi possit ad animum tuum ira accendendum, offundendamq; oculis caliginem, ac denig; omnia turbandum: vt

quòd

quòd convicia in te collaturus sit adversa-
rius: quod impiè te, aut impudenter, aut
sceleratè facere accusaturus sit: quòd ap-
pellaturus te sit rerum omnium ignarum,
stupidum, bardum: quod irrisurus te sit ho-
mo nihili: quòd verba tua cavillaturus:
quòd deniq; summa sit vsurus insolentia:
ac nihilominus certum tibi esse oportet
nulla re commoveri: quin potius summa
lenitate patientiaq; institutæ disputationis
filum ad finem vsq; prosequi. Si nobilitas,
si opes, si eruditio, si authoritas, aut nominis
claritas, aut quidvis aliud est quod attol-
lere tibi animos possit: cogita ea parte nu-
dum te esse, injuriæq; obnoxium: ac te, nisi
caveas, ibi vulnus accepturum. Caveris au-
tem: si intellexeris hæc aliud esse nihil
quam satanæ, quibus te oppugnet, arma,
quæ ita demum nocendi vim amiserint
omnem: si quàm sint inania, exploratum
tandem habueris. Illud autem fixum esse in
animo oportet, rem haud esse cum homine
eo qui cum disceptes, sed ipso cum satana:
neque rei summam esse punctum illud
quod in controversiam venerit: sed multò
plura, majoraq;. Eò spectare satanam, vt ex
vna lite infinitas faciat, vt iras accendat, ec-
clesiam in sectas distrahat, seditiones exci-
tet, tyrannides erigat: denique eum nihil
nisi

nisi maxima incendia vastitatesq; moliri. Quare non vnum summissurum litigatorem, aut alterum: sed quamplurimos alium alio semper morosiorem, pervicaciorem seditiosioremque. Atque illud esse ejus propositi caput, non vt quæstioni de qua agatur tenebras obducat (cum præ aliis quæ molietur minimum illud sit) sed multò magis tuam vt vincat patientiam: qua expugnata, reliqua minore negotio assequuturus videatur. Age autem quodnam igitur hîc boni fuerit militis officium? Animo frangi? Fatigari? Hosti cedere? Minimè verò: sed quo oppugnationem ille vrget improbius, eo præsentiore animo resistendum tibi est. Id quod faciendum esse eo est alacrius, quòd nobis certissimam victoriæ spem Iacobus Apostolus faciat: testatus, *Si resisterimus Diabolo, fore vt recedat à nobis.* O si illud tantùm satis sit in animis nostris fixum: quæcunque moveatur controversia, rem esse non cum homine qui eam movet: nec disceptari de vno religionis puncto, sed per eam occasionem spectare satanam ad dissidia, sectas, rixas, seditiones, incendia, ac totius Christianæ reipublicæ eversionem. Quanti id esset ad nostros emolliendos animos: magisq; ac magis ad mansuetudinem Iac. 4.

ſuetudinem, quietumq; ac circumſpectum
diſſerendi morem componendos? Sed in-
ter alia quæ vehementer moroſum faciunt
diſputatorem, primum locum obtinet ar-
rogantia: ſi tibi ſapere omnia videâre, ac
præ te neminem non contemnas. Hoſce
autem ſpiritus addunt ſæpe opes, magiſtra-
tus, ampla ſacerdotia, nominis celebritas,
atq; alia id genus. Qua perſuaſione demen-
tatus animus ſi fuerit, neminem pati poſſis
integram pronunciare ſententiam: ore vix
dum aperto, & quid dicturus alter eſſet, &
quid etiam poſſet dicere, ſatis te aſſequu-
tum putaveris. Atq; vno verbo: vno ver-
bo autem? Immò verò vno aut riſu, neſcio
quo, aut toruo aſpectu, aut geſtu quovis
quid objectum ſit, abundè tibi diluiſſe vi-
deâre: quicquid autem affirmaveris, nega-
veriſve, ſi quis mutire quid contrà audeat,
læſæ majeſtatis reus, ſacrilegusq; habeatur.
Alius interim tantum abeſt vt ab errore a-
vocetur: vt ad errorem accedat etiam ſum-
ma indignatio, firmumq; propoſitum ſua
cum apud te non potuerit, apud quoſcun-
que, ſi minus palam, at certè clam & tu-
tandi, & latè ſpargendi: à quo quidem
morbo perdifficile eſt cavere. Vt quiſque
enim authoritate antecedit, ſuperiore qu
è loco dicit: ita ſe ſapientiorem videri pu
ta

tat oportere: vultq; plerunq; pro ratione ſuam valere authoritatem. Sed tamen occurrendum eſt huic malo, à quo infinita propemodum maximeq; pernicioſa oriri mala poſſint. Imprimis autem cogitandum ſæpe eſt, quàm ineptum ſit, vel ſi opibus affluas, ex opibus: vel ſi in magiſtratu, aut ſacerdotio ſis ex hoc aut illo: vel ſi nobilis, ex nobilitate ſcientiam, ſcientiamve tibi vllam arrogare. Quid eſt enim cum iſtis rebus commune ſapientiæ? Si more hominum judicare velis: niſi fuit ingenium, niſi doctores, niſi diſcendi longus aſſiduuſque labor: nihil illa quidem ſunt: nominis etiam clariras, quid eſt aliud, quàm vulgi teſtimonium? Qualis verò authoris? Vix nimirum aliquando non maximè delirantis: quòd ſi eum audias qui vnus nec fallere, nec falli poteſt, ne illa quidem, ingenium, doctores, ſtudia quicquam ſint: ſed in vno Dei ſpiritu omnia poſita intelligas. Vt ſi hic vnus adfuerit affluenter: etiamſi nihil extiterit præterea, non ſapientiſſimus eſſe non poſſis: ſi defuerit hic vnus: vel in maxima rerum aliarum omnium affluentia non poſſis eſſe non ineptiſſimus. Quid te inflent igitur vaniſſima hæc nomina? certè cum plus ſatis per ſe natura nullis externis adjuta rebus aſſentetur cuique: vtq; ſibi plurimum

ſapere

ſapere videatur faciat: cavendum eſt ne ſtulta ejuſmodi rerum fiducia acceſſio naturæ morbo fiat. Ac cùm alia humanæ naturæ vitia ſingulatim comtemplanti mirè altas habere radices videatur vnum quodque, ac difficillimè poſſe non dicam evelli, ſed aliqua etiam tantum amputari parte: tum verò de arrogantia, ſic equidem judicio, ſi cum aliis conferatur, videri illa nihil propemodum hærere: etenim ſi ira accendaris: ſi odium ſuſcipias, ſi furto alienam rem ſutripias, ſi occidas: hac te patrare non potes non intelligere: vt ſi ſæpius id facias ad iram, ad odia, ad furta, ad ſanguinem fundendum, tuum proclivem eſſe animum te non lateat: atq; aliquam tibi ipſe poſſis vim facere, ac paulatim ad ſaniores enitii mores: ſed ſi plus æquo ſapere tibi perſuaſeris: id te facere æquè intelligere non poſſis. Si quaenim in re aberres: interea dum erras, vt errare te intelligas: fieri nulla ratione poteſt, non magis quam vt ſimul vivas, ac non vivas; ſiquidem errare, erroremq; agnoſcere aliud eſſet nihil, quàm errare, & non errare. Fieri autem ſanè poteſt: vt poſtquam aliquandiu verſatus in errore fueris, reſipiſcas, agnoſcaſq; errorem, ſed quotuſquiſq; tamen agnoſcatur error: Deus novit. Atq; in iis ipſis etiam perpaucis quos

quos agnoſcimus, nunquam non eſt nimio ſui cuique amori vnde excuſet: vt culpam quamvis aliam potius in rem rejiciat, quàm in ſuum judicium: itaque fit, vt ſe ſibi plus æquo arrogare nequeat animadvertere: cumque lateat morbus, ne medicina quidem quæritur, neque alia ſanè ratione quicquam hîc proficere nos poſſe video, niſi illa quam adhuc ſuprà attigimus: quam cum fixam firmamq; in noſtris eſſe animis oporteat, eam quòd repetamus, pigere non debebit; ea verò erat hujuſmodi: Cum diſſenſionibus in vita plena videamus omnia & divinis in rebus, & profanis, in publicis ac privatis, domi ac militiæ, denique omnibus: & tamen vna ſit omnibus in rebus veritas, plurimi errent neceſſe eſt. Cumque diſſideant inter ſe plerunque & alii qui ſapientia præſtare cæteris creduntur: ſapientes etiam multi (qui habentur) errent oportet. Cumque alius hac in re erret, alius in illa: ſintque propterea illa in quibus vnuſquiſque errat, quamplurima: & cum nemo tanta excellat ſapientia, quin ei quotidie humanitùs aliquid accidat, nihil minus ſibi perſuadens. Ita tecum ratiocinator: Homines alii errant omnes, ac ſæpe: neque hominis eſt vehementer ſapientis, ne-

que limati judicij, sæpe errare: ergo nemo ex omnibus tantum adeptus est sapientiæ, quin ad cumulum desit plurimum, & tamen nemo non plurimum sibi tribuit: idq; cum faciat, sua opinione fallitur vehementer. De te igitur quid judicii feceris? Mon ita cogitabis? Homo & ipse sum: ergo quod hominis tam est proprium, in me quoque (etsi animadvertere non possum) idem insit necesse est: vt ita tuam infringere coneris arrogantiam? Sed est in homine genius nescio quis adulator maximus, ac mirè ille quidem artificiosus, qui intermeditationes ejusmodi nescio quid obmurmuret in corde: sed ita vt ejus potius moveat, afficiatq; hoc est dementer, quàm vel animadvertatur oratio. Sed si assequi sensum possis, talis fuerit: ita est scilicet: nemo non fallitur nimium sibi tribuens: verùm abs te procul est hæc arrogantia; tui multò alia est ratio, qui singulari quodam ducaris instinctu, qui aberrare te in judicando non sinat tantaq; est hujus vis fascini, vt vel si diuturnum acerri umq; ipse tecum certamen habueris: vix tamen paululum deponere de inani illa persuasione queas. Sed illud tamen exploratum habeas oportet: quo suspicari tua de arrogantia potes minus, eo esse majorem, dum enim tu tibi places

ces: ineptis te enumerat sapientissimus rex Solomon: *Inepto* (inquit) *suæ pulchrè arridēt rationes: sapiens autem quærit consilium.* Vt humanæ sapientiæ culmen esse videatur, suam suspectam habere sapientiam: atq; intelligere se alieno opus habere consilio. Quod quidem verbum assiduè objiciendum est nequissimo illi genio, quò minus à modestia tuum avertat animum.

Ac quo magis intelligas, omnino in disceptationibus modestia opus esse, quiddam addam, quod prima fronte videri non parum absurdum possit: sed tamen tam verum, quam quod verissimum: quisquis fueris non posse te vllo cum homine vlla de re controversiam habere: quin, quanto tu plus sapere tibi videris, quàm ille: viciſſim ille tanto se plus sapere existimet, quàm te. In promptu est ratio; nam eam rem si respicias, quæ est in controversia, si iste melius judicare arbitraretur, quàm se: tibi assentiretur: controversiaq; nulla esset. Cum igitur dissentiat, se melius judicare putet, necesse est, in aliis fortè videatur ille quidē te sibi præferre: sed revera id non faciet, nam si recenseat vterq; suas opiniones omnes, de quibus quidem illi tecum convenerit: tam suum probabit judicium, quàm tuum: in quibus autem dissentiet abs te, suum v-

tique tuo anteponet. Itaq; sapientior sibi videatur. Apparet id maximè in faciendo de authoribus judicio. Tantùm enim tribuere cuique possis laudis, quantum tuo satisfacit judicio. Ac tantum detrahas necesse est, quantum in eo fit, quod tibi non arrideat; vt cuiq; recti atq; obliqui regula suum fit judicium. Quod cum ita sit, cum quocunq; sit controversia, etiamsi ille omnium sit ignorantissimus, tu eum te esse persuasum habeas, oracula qui loqui possis: quàm non æquo tu animo ferre posses, te illi esse contemptui: tam iniquo laturus est ille, si contemptui sit tibi: ac tanto fortè etiam iniquiore, quanto fuerit minus educatus liberaliter. Vis igitur vno verbo dicam, quo pacto tractari eum oporteat, omnis vt absit amarulentia? Finge, omnia contrario se modo habere: illum esse qui tu tibi esse videre: te qui tibi videtur ille, ac qui mores tua digni essent persona, atq; illius: si ita se res haberent, eos dato operam, quantum poteris, vt exprimas. Id nisi feceris, crimen declinare insolentiæ vix, ac ne vix quidem possis. Hæc si quis assiduè meditatus fuerit, si in iis animum diligenti studio exercuerit: næ ille, nisi fallor, disceptator evaserit, qui pullulantibus erroribus ratione resistat, commodissimus. De qua

cum

cum satis multa dicta sint, de authoritate deinceps est dicendum.

SATANÆ STRATAGEMATVM

LIBER TERTIVS.

CVM authoritatem qua erroribus falsisq; dogmatibus resistitur, aliam ecclesiæ dixerimus esse, aliam civilis magistratus: de ecclesia dicamus prius. Ergo si quis ea doceat quæ à sanctarum literarum doctrina abhorreant, quominus ea invaleant, duo designare potest ecclesia: vt dogma ceu erroneum impiumq; damnet: & vt hominem ab reliquo ecclesiæ corpore, quasi aridum ramum amputet: in quibus trifariam peccari potest. Primùm quidem, si iniquè damnetur sive dogma, sive homo: deinde, si id fiat aliter, quàm par sit: tum autem, si id fiat à quibus non debet fieri. Injustè quidem primùm damnatur aliquid, si falsum non sit: quod quo minus fiat, quibus rationibus caveri debeat, ex iis quæ primo Libro dicta sunt, cognosci potest. Deinde etiam injustè damnatur: si gravius sit iudiciũ,

Authoritate, & primò Ecclesiæ.

Cavendũ autẽ ne temere damnetur sive dogma, sive homo.

quàm res de qua agitur, ferat. Non enim vnius sunt generis omnia veræ doctrinæ capita. Sunt quædam ita necessaria cognitu, vt fixa esse & indubitata omnibus oporteat. Sunt alia quæ inter Ecclesias controversa, fidei tamen consensionem non dirimant. Quod si error quispiam, cum hujus sit generis, perinde damnetur, ac si de errantium salute spem adimeret: haud rectum fuerit judicium. Quo loco illud est videndum: quicquam ne referat hoc in genere minus rectum ferri judicium. Pleriq; nisi errorem quemlibet gravissimum esse volueris, dicent te erroribus patrocinari, errantium causam agere; quorum equidem laudo pium sinceræ doctrinæ conservandæ studium: sed mihi tamen, sit necne id erroribus patrocinari, operæprecium videtur certius cognoscere. Certè quidem quaque de re quisque aut alteram in partem judicio inclinat, aut ambigit. Qui ambigit autem, si persuasus sit in errore certum salutis positum discrimen esse, cum non sit, animo consternabitur. Quæ consternatio, tantum abest vt judicio quicquam conferat ad rectè judicandum: vt etiam obsit maximè. Labefactat enim judicium, caliginemq; offundit omnis animi perturbatio: certè quidem cum diffidentia de Dei in se misericor-

Distinguenda sedulo Capita fidei necessaria & certa à controversis.

cordia est conjuncta: quo ad salutem quid conducit minus? Immò verò quid obest magis? Quæ verò inde fenestra aperta sit satanæ ad expugnandam miseri hominis spem omnem, injiciendasque ei cogitationes multas valde perniciosas? Fateor equidem, fieri etiam posse, vt sic consternatus animus ad Deum erigat sese, opemque ad certam veri agnitionem adipiscendam imploret, impetretque. Sed vt nonnullis sic contingat: quis negaverit aliquibus etiam illud posse, quod ante diximus, contingere? Qui veri agnitionem impetraverint autem, cum res (vt posuimus) cognitu necessaria non esset, non liberantur maximo à periculo: sed qui diffidentiæ de Dei in se misericordia fenestram aperiunt: eorum maximo in periculo versatur salus. Quo fit, vt, ad eos quod attinet, qui ambigunt aliqua de re, plus obesse videatur posse, si persuasi sint eam cognitu necessariam esse, quæ non esset, quam si rem non pluris fecerint, quàm quanti sit. Qui verò persuasus est, ac deteriorem in partem: is nisi conetur quantum posset aliis quibusvis idem persuadere quod ipse sibi intelligere videtur: Deum se propitium non habiturum arbitretur, itaq; palam ille quidem conabitur, si liceat: sin minus, clam sal-

tem non poterit id non moliri, nihil tale tentaturus, saltem certè tanto conatu: si rem haud tanti æstimaret. Atque in quibus quidem radices jam egit error: quid æquè impedit, quominus ab errore revocari possint, quàm si arbitrentur non posse se à sententia deduci absque salutis jactura? Ideo enim qui se meliora docere velit, audire non audent. Cumque id recusent: quis alius sit in viam reditus? Qui rectè sentiunt, equidem fateor, quo plus positum esse in quaque re opinantur, eò minus facilè ijs præbituros aures, qui, quod sentiunt, vocare in controversiam velint. Verùm si minor eorum opinione res fuerit, in eò vehementer nocuus eorum erit error: quòd errantes ea in re à reliquo Christi corpore, hoc est Ecclesia, se parabunt, contemnent, execrabuntur: illi autem sectâ seorsum facere cogentur: quo exitiosius fieri nihil potest. Videmus enim quàm truculentas inimicitias exerceant sectæ inter se. Ac facit quidem odium, vt quicquid ab vna secta dicitur, facilè sit inimicæ suspectum: vtque ei illa contradicat. Et quicquid per temeritatem semel exciderit, non patitur id improba animi elatio, contentionisque studium retractari: sed tueri pertinaciter vult. Atque vbi invaluit

mos

mos, quo ob dissensionem quamlibet alius alium damnet, quotidie videas ex sectis sectas nasci: quæ sectarum multitudo quam plurimis desperatione consequendæ certæ veritatis omnem religionis cogitationem eripit: adeo vt si quis consideratius animadvertat, quam impediant Evangelij cursum sectarum multitudo, & quæ inter eas sunt dissentiones, atque odia: intelligere facile possit temerarijs eiusmodi iudicijs, vnde oriuntur sectæ, ad satanæ consilia accommodatius fieri nihil posse. Satius igitur est multo, quanti quæque res fuerit, tanti eam facere, neque eam vel adaugere, vel extenuare. Quæ sententia eo amanda est magis, quod cum vnicus puræ doctrinæ cõservator sit Christus ipse, is ad id nulla falsa persuasione opus habeat, quid enim fuerit in mendacio præsidij? Quod cum ita sit, sequitur vt ratio inquirenda sit aliqua, quæ librando rerum pondere à recto aberrare nos non sinat.

Primum autem illud firmum fixumque maneat oportet: Si â divinis oraculis quæ sacris sunt literis consignata, discesseris, nihil esse cui tuto fidem accommodes: nihil esse quod non aut fraudi, aut errori sit obnoxium divina testimonia sola certa: sola digna esse cui acquiescat conscientia. Certè

tè etiam si de religionis puncto aliquo sit controversia, vt alij dicant adeo ad salutem necessarium esse, vt nisi quis illud intelligat amplectaturque, seruari nullo modo possit: alij, tametsi de re alioqui conueniat, negent tamen eam tanti esse ponderis, quin potius arbitrentur male de ea sentientes salutem posse adipisci, & in Ecclesiæ membris habendos nihilominus esse. Si talis (inquam) sit controversia, cum non vtrique rectè sentire dicendi sint, alterutros errare necesse fuerit. Quare compertum exploratumquè habere, vtri rectius sentiant, aliquid erit scire: quemadmodum in eo hærere, ac dubitare erit aliquid ignorare: consequens est ergo, vt ne hoc quidem sciri possit: nisi de eo diuina extent testimonia. Est autem hic omnino animadvertendum, longe aliam esse rem dogma aliquod, aliam vero eiusdem dogmatis pondus, ac judicium. Vt aliud est dicere: Circumcidendum non esse Christianum hominem: aliud est dicere. Si circumcidemini, Christus vobis nihil proderit. Nam qui illud audisset. Circumcidendum Christianum non esse; adhuc existimare potuisset, etsi non debeat Christianus circumcidi, si tamen putauerit quispiã se circumcidi oportere, non id multum admodum referre. sed audito

Dogmata vite & cum iudicio ponderanda.

Et trutina hic vtere solo Dei verbo.

audito eo verbo. Si circumcidemini, Christus vobis nihil proderit: iam rem intelligat multo maioris esse momenti. Cumq; alia res sit dogma, alia dogmatis iudicium, & æstimatio: si quidem in quæstionem venerit, vtrum sit cognitu necessariũ dogma aliquod, vt quod iurare in iudicio liceat: nihil ad rem fecerit, si quis testimonia multa adferat, quibus testimonijs non recusandum in judicio iuramentum evicerit, dicat enim aliquis, id se quidem dare, nec de eo se quærere, sed de rei pondere, sit necne tanti res momenti: vt si quis persuasus sit, quæcunq; sit causa, jurare nunquam licere, atq; in tali perseueret errore, de eius salute habenda spes non sit. Itaq; testimonijs hic opus fuerit, non quæ doceant, iuramentum esse in iudicio (id quod in dubium non vocatur) sed quæ doceant, qui persuasus fuerit, non licere sibi jurare, eum damnatum iri quale de non retinenda circumcisione extat.

Intelligetur autem divino aliquid doceri testimonio, ac probari: si ipsum testimonium verum esse non possit: nisi id etiam verum sit, quod probandum erat, id quod accidet, siue testimonium id ipsum exprimat quod probandum erat, siue ea enunciet, quibus positis, illud necessario sequatur,

tur, exempli causa, probandum est, fide iustum censeri hominem, non legis operibus: citanturq; Pauli verba illa, *Censemus ergo fidei iustificari hominem, absq; legis operibus.* Hoc testimonium id ipsum exprimit: quod docendum erat. Sed propositum sit: docere, sola fide iustificari hominem, itaq; ratiocinetur quispiam. Nisi una sola esset iustitiæ ratio, & ea per fidem ineptè intulisset, Apostolus, ex eo quod scriptum esset, *iustum per fidem vivere*, & opera fides non essent, ob legis opera iustum non vivere, hoc est in legis operibus iustitiam non esse. Atqui Apostolo inepta ratiocinatio absq; scelere tribui non potest. Est igitur in sola fidei iustitia, igitur sola fide iustificatur homo jam quod allatum esset testimonium non dicetur quidem id exprimere quod docendum erat: sed tamen ea enunciare, quibus positis necessario id sequatur. Quod si possit quidem verum esse quod pro testimonio affertur: & tamen non esse id quod probandum erat, non dicetur tali testimonio id probatum: quare si, vt doceat aliquis, Romanum Pontificem authoritatem habere novas leges, quibus hominum obstringat conscientias, condendi, locum illum citet. *Quicquid ligaveris super terram erit ligatum & in cœlis*, ideo negabitur ille locus probare quod est in con-

troversia, quia potuerit Petro ligandi potestas tribui, & tamen non tribui Romano Pontifici potestas novas leges condendi.

Exprimi autem potest aliquid & generalibus verbis, & nominatim, Etenim cum generale legis verbum & eam legem complectatur quæ est de moribus, & eam quæ est de ceremonijs, & divinas leges, & humanas, quod qui in moralis legis observatione iustitiam habuerit positam, nihil ei profuturus sit Christus, Apostoli testimonio negantis *quicquam rei esse cum Christo ijs qui in lege positam habent iusticiam*: generalibus verbis dicetur expressum esse. Quòd autem fide justificetur homo, illis ejusdem Apostoli verbis: *Censemus ergo fide iustificari hominem absq; operibus legis*; nominatim expressum intelligemus.

Aliud porro ex alio, quod quidem ad rē faciat duobus modis cōsequi posse video. Vnusq; ille est, si posita re quapiam vti cognitu necessaria, ea intelligi crediq; non possit: nisi alia quæpiam intellecta, creditaue ante fuerit: nam & hæc vtique in necessarijs habenda erit, ita cum inter necessaria sit, vt credamus Christum à mortuis fuisse excitatum: neque possimus id credere, nisi credamus etiam mortuum eum fuisse: profecto etiam mortuum eum fuisse necesse erit credere. Alter modus est: si expressum fuerit, cognitu necessarium esse

id quod magis dubium esse debuerit, vtrum esset necessarium, aut certe non minus dubium, & id enim erit necessarium quod aut minus fuerit dubium, aut non magis.

Sed quærat aliquis: an si constet quid oportuisse aut fieri, aut esse: protinus ex eo constet idem nobis cognitu esse necessarium. Similitudine quod velim, planum faciam. Qui calido laborant morbo, eum frigidis medici curant medicamentis: neque sane quicquam referat eum qui est in morbo, ignorare cuius facultatis ea sint medicamenta: si modo ijs vtatur. Siquidem igitur & nos quodam eramus in morbo, damnationi videlicet propter peccatum obnoxij: multa enumerari possint, quæ vt servaremur, tum esse, tum fieri oportuerit. Veluti peccata nostra aboleri, & per hominem peccati omnis expertem, & virtute immensa, propterea q; Dei filium, itemq; Deum & similia. Sed faciamus inter alia, omnino oportuisse eum accusatum, & iudicio damnatum mortem perpeti. Quærat (inquam) aliquis: vtrum quam necesse fuit Dominum iudicio damnatum mori: tam etiam necesse sit compertum habere, quod non quoquo modo trucidatus, sed accusatus, & iudicio damnatus obierit an vero

vero tam liceat nobis hoc ignorare, quam non neceſſe eſt calido morbo laboranti noſſe cuius ſint facultatis, aut vbi, quomodouè parata fuerint ea quæ illi porriguntur medicamenta. Certe artem vt conſtet hæc etiam credi tu eſſe neceſſaria, aut oportet teſtimonium habere ex divinis literis quod pronunciet, quicquid fieri oportuit, id etiam (vt quis ſervetur) neceſſario credendum eſſe: aut dicendum eſt ex eo, quod pronunciatur aliquid fieri oportuiſſe: conſequi, vt id cognitum habere oporteat. Atqui teſtimonium quod pronunciet, quicquid fieri oportuit, id etiam factum credi oportere, nullum, quod ſciam, extat, vtrum autem ex eo quod pronuncietur aliquid fieri oportuiſſe, etiam neceſſario id credendum eſſe conſequatur: ſic cognoſcere liceat, finge ita ſcriptum eſſe: Oportuit omnino ad abolenda hominum peccata Chriſtum iudicio damnatum mortem perpeti. Si aliter quam iudicio damnatus mortiem obijſſet, homini eius mors profieua eſſe non poſſet. Vult autem aliquis hoc teſtimonio probare quod niſi quis crediderit Chriſtum iudicio damnatum obijſſe, ſaluus eſſe non poſſit. Quæritur igitur: ſit nec ne id huiuſmodi teſtimonio probatum. Atque hinc quidem non probatum eſſe apparet:

parit: quia possit & id verum esse quod pro testimonio est allatum: & non esse id quod probandum erat etenim quæ sententia contradicit ei quæ probanda erat, non ei contradicit quæ pro testimonio est allata. Non cum aliud sit oportuisse Christum iudicio damnatum mori, aliud credere quod ita fieri oportuerit, qui dicit eum qui ignorauerit Christũ iudicio damnatũ obijsse adhuc seruari posse non ei contradicit, qui dicit oportuisse Christũ iudicio damnatum mortem perpeti nihilq; impedit quominus vtraque enunciatio vera esse possit. Quod cum ita sit, non potest igitur eo testimonio probatum intelligi, quod qui non crediderit Christum iudicio damnatum obijsse, salvus esse non possit. Ex quo efficitur vt ad probandum quod aliquid sit creditu necessarium, nihil faciat qui probaverit illud esse, aut fieri oportuisse.

Deq; iis quæ ex principijs consequitur.

Quærat etiam aliquis: an si quid constet Dei verbo cognitu esse necessarium: quicquid ex ea re necessaria consequutione colligi potest, id similiter cognitu necessarium videri debeat: qua quidem in re animadvertendum est, cum (vt diximus) aliud quiddam sit dogma aliquod, aliud autem ipsius dogmatis iudicium: sic aliud esse, consequi aliquod dogma: aliud conse-

qui

qui orationem dogmati, iudiciũ ac pondus exprimentem, non potest autem in dubium vocari hoc posterius consequutionum genus. Nam cum scriptum sit. *Nihil vobis Christus proderit qui in lege positam habetis iustitiam*, sitque circumcisionis institutum lex: si quis diceret, qui in circumcisione iustitiam collocauerit, fieri potest vt ei nihilominus Christus prosit, is Pauli verbis contradiceret. sed de ijs quæstio est, quæ consequuntur ipsum dogma cognitu necessarium. Cum igitur antecedens ponere, & consequens tollere, sit pugnantia dicere: qui negat id quod rem cognitu necessariam omnino consequitur, non videatur re vera eam credere, quare neque salvus esse posse. Sed respondeo: cum ego idem antecedens cognitu necessarium, etiam sed id nego quod tu putas necessario inde sequi, quare non itidem dicar quod tollere videor, non tamen re vera tollere? Cum, inquam, simul consistere hæc non possint, antecedentis positio, & consequentis negatio quare magis videatur negatio consequenti etiam antecedens negare, quam dato antecedenti etiam consequens dare: tam enim certe verum est, posito antecedenti consequens poni: quam quod sublato consequenti tollatur, antecedens. Palam est autem, qui

intelligit hoc ex illo sequi, contingere non posse, vt simul illud ponat, & hoc neget. Quod si quis cum antecedens putet verum esse, consequens non admittat: id accidet propterea, quod non videat hoc illud consequi, videre enim quod hoc illud sequatur & illud persuasum habere, hoc non habere aliud esset nihil, quam idipsum & videre & non videre quod vt fiat, contingere non potest. Posse autem contingere, vt quod aliud quiddam necessario consequitur, quispiam id consequi non intelligat: tam certum est, vt nihil magis, quam multa enim sicut tum in Mathematicis, tum in alijs, quæ cum firmissimè demonstrentur, multi tamen qui eorum non tenent demonstrationes, & ignorant, & non credunt. Vt, exempli gratia, solare corpus toto terrarum orbe multis partibus maius esse. At si quis contraria ijs quæ demonstrantur, potuerit: veluti solare corpus terra maius non esse, ea posuerit quæ pugnent cum pronunciatis adeo perspicuis ac certis, vt vera ea esse nemo possit non intelligere: cum ijs videlicet ex quibus illa demonstrantur. Sed ideo pronunciatis illis perspicuis ac certis fidem adhibent: ijs quæ inde necessaria consecutione colliguntur non adhibeant: quia hæc cum illis insolubil

bili nexu cohærere non intelligunt, nisi enim id accederet: cum principiorum ex quibus demonstrationes omnes fient veritatem nemo non cognitam habeat: quæcunque demonstrari possunt, ea necesse esset absque discrimine omnes scire: atque ita omnes essent Geometræ, omnes Arithmetici, omnes Musici & Astrologi. Ac cum contingere possit, vt aliquis quod consequitur aliud quiddam, id consequi non videat? ac proinde illud persuasum habeat, hoc non habeat, profecto ex eo quod aliquis necessarium neget consequens, non efficietur omnino vt antecedens cognitu necessarium non credere videatur: præsertim si adeò firmiter antecedens persuasum habuerit: vt facilius posset etiam consequens admittere, quam antecedens negare. Quod si potius negaturus esset etiam antecedens, quam vt consequens admitteret, tunc sanè aliud videretur dicendum. Saltem certe non esset id antecedens firmiter credere: patet igitur quæ testimonia docuerint, aliquid cognitu necessarium esse: ea non docere etiam quod quæcunque eam rem consequuntur, perinde cognitu sint necessaria. Hic locus acumen habet: & vt intelligatur, attentum poscit lectorem: sed est ad tollenda temeraria judicia, prop-

propter quæ Ecclesia in sectas discerpitur, cognitu valde necessarius. Sed istis quidē sic expositis, sequitur vt indagemus, quæ nam in divinis literis nobis proponantur: ita cognitu credituq; necessaria: vt cui ea cognita perspectaq; non fuerint, is in Dei servis, Ecclesiæq; membris habendus non sit: quisquis vero amplexus ea fuerit omnia, is salutis particeps esse credatur posse: etiamsi in rebus alijs omnibus procul à scopo aberret. Qua de re multo maluissem equidem aliorum audire sententiam, quam meam præcipiti: ac forte parum religiosæ multorum censuræ subijcere, sed multo tamen plus apud me potuit Christianæ ecclesiarum tranquillitatis pacisq; spes, quam priuata vlla ratio. Non quasi decreta cuiq quam à quibus dissentire non liceat, præscribimus sed quod nobis aperire dignatus est Dominus, id ita in medium afferendum putauimus, vt certiora afferenti credere lubentissimo animo parati simus. Non id sane agimus, vt quacunque ratione nostram obtrudamus, valeregue velimus sententiam: sed potius vt ipsa in lucem proferatur veritas. Quemadmodum enim non raro accidit, vt, a quo Musico nullis precibus impetrasses vt fidibus caneret, id vt faciat adducatur, si inde

ctus quispiam optimum aliquod attigerit instrumentum, atque incondite eius obstreperit auribus: ita nos speravimus fore, vt nisi aliquid dixisse videremur in re maximi extra omnem controversiam momenti, aliquem saltem excitaremus maiore donatum spiritu atque sapientia, qui quod nos parum feliciter aggressi essemus, fœlicius ipse præstaret. Interim a pijs bonisque omnibus petimus etiam atque etiam, vt qualecunque sit de sententia nostra iudicium: nostrum tamen pacis, consensusq; nec qualiscunque, sed Christiani, studium boni consulant ac nobiscum ab eo qui cura omnis boni, tum veræ pacis solus author est, summis precibus contendant: vt vt ea aliquando ad sui nominis gloriam suas donare Ecclesias dignetur. Expendamus igitur diligenter, excutiamusq; ea sacrarum literarum loca, quibus fidei aut incredulitatis ergo vel promittitur, vel negatur salus.

Ait Dominus: *Illud certissime persuasum habetote, qui sermonem meum audit, & ei credit qui me misit, eum aterna vita fruiturum, nec in iudiciũ venturum esse: sed mortem cum vita commutasse.* Io. 5. *Item: Hæc est eius qui me misit voluntas: vt quisquis filium viderit, eique crediderit, vitam con-* Io. 6.

sequa-

Mar.vlt. *ſequatur ſempiternam, & rurſus: Ite per totum orbem, nunciantes Evangelium omnibus: qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſervabitur, qui vero non crediderit, condemnabitur.* Quæ loca & ſimilia vt intelligenda ſint, dubitari poteſt, Nam quærat quiſpiam: quid nam ſit Dei filio, eiuſue Apoſtolis credere: etenim & is certe credit qui veracem eum qui loquitur perſuaſus eſt eſſe, etiamſi, quid dicat, non intelligat. Quomodo nemo eſt ex Chriſtianis omnibus quin divinis literis eatenus fidem adhibeat, vt quicquid omnino ijs continetur, verum eſſe non dubitet, cui verus ſenſus omnium perſpectus ſit: forte neque eſt vllus, neq; fuit vnquam: is multo magis credere dicitur, qui cum loquentem veracem eſſe perſuaſum habeat, etiam quid dicat intelligit. Quin autem quod quiſque intelligit Dei filium ſiue per ſe, ſiue per apoſtolos ſuos docuiſſe id certiſſime verum haberi oporteat: adeo vt id in dubium vocari abſq; pernicie nõ poſſit, arbitror extra omnem eſſe controverſiã. Non enim ſimul ſtare poſſent hæc: vt quis Ieſum Dei filium eſſe crederet, atque interim eum veracem eſſe, & præſtãtiſſima quaque ornatum virtute, non eſſet perſuaſus. An vero etiam neceſſe ſit, vt ſervemur, quæ Dominus tam per ſe, quam per

Apo-

Apostolos suos docuit, eorum omnium rectam habere cognitionem intelligentiamq; ita vt ea omnia non solum confusa, hoc est generali fide, sed etiam distincta amplectamur, quæstio est.

Omnino autem necesse est, quæcunque divinitus sint, tradita, aut ea omnia ita esse cognitu necessaria, vt eorum nihil prorsus absque pernicie vel ignorare, vel perperam interpretari liceat, aut aliquod eorum est discrimen, vt quædam sint omnino cognitu necessaria, quædam, & si vtilia quidem sint cognitu, neq; parvipendere ea liceat: vsque adeo tamen necessaria non sint: quin immo etiamsi circa illa aliquis contingat error, servari adhuc qui errat possit. Ac testatur quidem Dominus, *nihil se docere, nisi quæ â patre accepisset, & quæ à patre accepisset, ea se suis discipulis tradidisse, & eos illa amplexos fuisse, & se à patre missum esse credidisse, itaque orat pro eorum salute, atque omnium etiam eorum qui per ipsorum sermonem crediturí essent,* & Apostolis dictum est: *Ite per totum orbem, nunciantes Evangelium omnibus, & docentes servare quæcunque præcepi vobis, qui crediderit & baptizatus fuerit, servabitur, qui vero non crediderit, condemnabitur.* Quibus ex verbis innuitur, nisi

Ioan. 17.

Mar. 16. Matth. 28.

quis omnia assequutus fuerit, eisque fidem adhibuerit, eum salutem adepturum non esse, ita Paulus cum carceris custodi interroganti quid faciendum ei esset: *Domino Iesu, vt fidem haberet præcepisset atque ita salvum fore ipsum & eius familiam*: postea eum in Domini doctrina instituisse traditur, vt verborum eorum, *Fidem habe Domino Iesu, & saluus eris*, hic sit sensus: Amplectere Christianam fidem, atque doctrinam, & saluus eris. sed maximè id ex eo confirmari videtur, quod scribit idem Apostolus: *Si quis nos diversum doceat ab eo quod nos docuimus, esto detestabilis.* Diversum enim docet quisquis alicubi verba perperam interpretatur. Contra autem, quemadmodum Paulus, vt doceret in legis operibus iustitiam non esse inter alia tali vtitur argumento, *quod si hæreditas ad eos pertineret qui legem servassent, cum nemo servare eam posset, nemo servari potuisset: quare cum promissio inanis non esset, alia dari oportere iustitiam, quàm quæ in lege esset posita.* Ita eodem prorsus modo hic ratiocinari liceat: cum nemo ex omnibus omnia recte intelligat quæ diuinitus sunt tradita: necesse autem sit, vt quis servetur, eum omnia rectè intelligere, neque vlla in re errare:

Act. 16.

Rom. 4.

re: nemo igitur ſervabitur. Atqui certum eſt, *maximam atq; adeo innumerabilem multitudinem ſervatum iri*: neceſſe eſt igitur homines ſervari poſſe, etiam ſi quid minus rectè intelligant, atque aliquo teneantur errore. Et Paulus teſtatur, *nos in hac vita non plenè omnia, ſed aliquatenus ſcire, & aliquatenus vaticinari.* Sed quid apertius vel optari poſſet? Dominus antequam mortem obijſſet, teſtatus eſt, *diſcipulos ſuos amplexos eſſe quæ ipſe à patre accepta tradidiſſet, & pro illis precatur*: & tamen nondum aſſequuti fuerant, neque quòd Chriſti regnum ſpirituale eſſet, non mundanum: neque quòd Chriſti beneficium ad exteras gentes pertineret. Quas tamen res & docuerat eos jam, & maximi erant momenti. Apparet igitur, quòd Dominus dicebat, diſcipulos quæ eis tradidiſſet, accepiſſe, de iis quæ ad ſalutem eſſent neceſſaria, intellexiſſe: non quod prorſus quæ docuiſſet aſſequuti eſſent omnia. Cumq, hæc quæ diximus, nondum fuiſſent aſſequuti, illis quidem ad ſalutem neceſſaria non fuiſſe. Ex quo efficitur, non omnia quæ Chriſtus docuit, ita cognitu eſſe neceſſaria: vt ſi quis aliquid ignoret, ſervari non poſſit. Et valde dignum eſt notatu: quòd cum nondum intellexiſſent diſcipuli

Apoc. 7.

1. Cor. 13.

ſcipuli Chriſti, regnum ſpirituale eſſe, & exteras etiam gentes vel potiſſimum ſervatum iri: tamen eis ſui corporis & ſanguinis ſymbola diſtribuerit.

Cum igitur certo certius ſit, non eodem loco eſſe omnia quæ divinitùs ſunt tradita: ſed quædam omnino cognita compertaque eſſe oportere: quædam poſſe abſq; certa pernicie ignorari: certè aut neceſſe eſt aliquam eſſe generalem ſive notam, ſive differentiam qua hæc ab illis ſecernantur: aut ea tantùm Chriſtianæ doctrinæ capita exploratum erit cognitu eſſe neceſſaria, de quibus ſpeciatim, ac ſigillatim certa verbi Dei teſtimonia extiterint, quòd ſint neceſſaria. Generalem autem vllam notam, vel differentiam equidem cum diligenter indagaverim, nullam vnquam invenire potui. Nam ſi dicat aliquis, præcipua quæque doctrinæ capita inter neceſſaria connumeranda eſſe: cum veriſſimè dixerit, nihil tamen dixerit. Quæram enim protinus, quænam ſint præcipua illa? Et ſi de puncto aliquo ſit controverſia, debeat necne inter præcipua numerari: quæram quanam ratione aut nota cognoſcere poſſim, aut habendum eſſe in præcipuis, aut non habendum. Apparet igitur, nos adhuc in eodem verſari luto. Idem eſt enim, ſive quæram, quænam

ſint

sint religionis capita cognitu necessaria: sive quæram, quæ sint præcipua religionis capita: & vtrunque æquè obscurum est, vt non possit vnum ex altero conspicuum fieri. Proinde quarumnam rerum intelligentia & fides nominatim requiratur, indagandum est.

Ait Dominus: *In hoc autem sita est vita æterna, si te solum cognoscant verum Deum, & eum quem misisti Iesum Christum.* Et Propheta: *Quisquis Domini nomen invocaverit, servabitur.* Et Apostolus: *Hæc est quam de fide publicè habemus oratio: quod si & ore Dominum Iesum confessus fueris: & à Deo ex mortuis excitatum animo credideris, servabere.* Sed insignis esse ille Ioh. locus: *Et alia quidē multa miranda* (inquit) *fecit Iesus in conspectu suorum discipulorum, quæ hoc libro comprehensa non sunt. Hæc autem sunt literis consignata, vt credatis Iesum esse Christum Dei filium: vtq; credentes vitam per eius nomen consequamini.* Quo loco notare licet: primùm, quæcunq; de Iesu scripta sunt, eò pertinere, vt fidem faciant, Iesum esse Christum Dei filium. Deinde si quis per eum salutem se crediderit consequuturum, eum sua spe non frustratum iri. Quare cum Petrus confessus esset *Iesum esse Christum viventis Dei filium*

Ioan. 17.

Ioel. 2. & Rom. 10

Io. 20.

Mar. 16.

lium, beatus dicitur: quippe cujus cognitio cujusmodi non ab vllo fuisset homine, sed à Deo. Sic Martha postquam ei dixisset Dominus, *se resurrectionem, vitamq; esse: ac*
Io 11: *si quis ei crediderit, etiamsi mortuus fuerit, tamen esse victurum: omnesque qui viverent ipsique crederent, nunquam esse mo-*
Luc.23. *rituros* Respondet. *Ego credo te Christum esse Dei filium, qui in orbem venturus eras.* Et Latroni qui Dominum rogasset, vt, quum in ipsius regnum venisset, sui meminisset, ita respondet: *Hoc tibi recipio, te hodie fore mecum in paradiso.* Et Eunuchus
Act.8. posteaquam confessus esset, *Dei filium esse Iesum Christum, baptizatur.* Quum etiam *paralyticum quatuor in lecto portantes offerre eum curandum conarentur: & cum per multitudinem eis non liceret, per tegulas illum in medium cum lecto ante Iesum demisissent: Iesus cognita eorum fide, tanta homini dixit: Nate, ignoscuntur tibi peccata tua.* Quo loco conjicere licet, quænam illius paralytici esset fides. Credebat enim (vt par est) hominem eum qui Iesus diceretur, à Deo esse, & apud eum gratiosum: itaque sperabat per eum sanitatem se posse adipisci. Illa vero eum cognita etiam habuisse omnia quæ diu pro articulis fidei necessariis habuit Ecclesia, quàm sit verisimile,

verisimile, cuique judicandum relinquo: sunt & alia loca multa quæ eodem prorsus tendunt. Nam & impudicæ mulieri quæ lachrymis Domini pedes lavit, dicitur: *Tua te fiducia servavit.* Idem dicitur alteri illi sanguinis profluvio laboranti, quæ speraſſet, *si modo togæ limbum tetigisset, se sanatum iri.* Idem uni illi è decem leprosis curatis, qui redidisset Deo grarias actum. Et Ioannes inquit *Hinc cognoscetis Dei spiritum: quisquis spiritus Iesum Christum venisse, & hominem factum esse confitetur: is à Deo est, & rursus: Quisquis Iesum Dei esse filium confessus fuerit: & in eo Deus, & is in Deo manet.* Negat etiam Paulus, *quenquam posse Dominum Iesum dicere, nisi per Spiritum sanctum.* Ac cum Abrahamus *credentium pater* dicatur, ejusque potissimum exemplo doceamur, *in fide positam esse iustitiam:* operæprecium quidem est videre, quid nam illud sit, *quod cum credidisset, id tributum ei sit iustitiæ.* Promittebatur ei proles in numerosissimum populum propagánda: promittebatur fore, vt omnibus orbis nationibus propter ejus semen bene feliciterque eveniret: denique etiam promittebatur ei Cananæa terra, & prosperitas maxima. Ceterùm de religionis apicibus istis quos ignorare opinantur

Luc 7.
Luc.8.
Luc.17.
1.Ioh. 4.
1.Cor.12.
Rom. 4.
Gal3.
Gen.12. & 15.

tur

tur, fas non esse, mirum est silentium. Quin ipsum etiam salutis mysterium per ejus semen rectè admodum obscureque promittitur. Neque sanè plura invenio ego quæ exprimunt sacræ literæ, vt quis servetur, necessariò credenda esse. Videamus nunc incredulitatis ergo, quibusnam negetur salus.

Generaliter quidem Apostolis dictum est: *Ite per totum orbem, nunciantes Evangelium omnibus, qui crediderit, & baptizatus fuerit, servabitur: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Quæ verba ex iis quæ paulo antè dicta sunt, apparet non ita esse intelligenda, ac si dictum esset: Qui non rectè intellexerit quicquid docueritis, sed in puncto aliquo malè interpretatus vestra verba fuerit, condemnabitur: sed Evangelii nomine intelligendum esse felix redemtionis nunciu n per Christi nomen. Vt sit sensus: Qui crediderit, se per Christi nomen servatum iri, servabitur: qui hoc non crediderit, condemnabitur. Eodem modo intelligenda sunt illa Pauli verba, *Si quis*
Gal. 1. *vos diversum doceat ab eo quod accepistis, esto detestabilis*: videlicet, perinde ac si dixisset: Si quis nos alia ratione salutem adepturos docuerit, quam fide per Christi nomen, esto detestabilis Quinquam etiam quicquid aliquis doceat aliter, quàm ab Apostolis

Apostolis est traditum, tametsi ad præcipua religionis capita non pertineat, eatenus haberi possit execrabilis: quatenus omnis falsa doctrina aliunde non sit, quâm à mendacii patre diabolo. Sed non protinus necesse est, eum hominem prorsus extra salutis viam esse: nam & Petrum objurgans Dominus, qui se à subeunda morte dehortatus esset, *Satanam* appellat. Speciatim autem ait Dominus: *Nisi filij hominis & carnem comederitis, & sanguinem biberitis, non vivetis.* Quod idem valet, ac si dictum esset: Nisi credideritis me Dei filium esse, & à Deo patre missum, & vos per nomen meum salutem adepturos: non vivetis. Et rursus: *Nisi me eum esse credideritis: in peccatis vestris moriemini.* Et Ioannes: *Quis est mendax* (inquit) *nisi qui Iesum negat & filium?* &: *Hinc cognoscetis Dei spiritum: Quisquis spiritus Iesum Christum in carne venisse confitetur, is à Deo est: quisquis autem spiritus Iesum Christum in carne venisse non confitetur, is à Deo non est.* Addit Paulus: *Si circuncidemini, Christus vobis nihil proderit.* Et paulò post: *Nihil rei vobis cum Christo est, qui in lege positam habetis iustitiam beneficio excidistis.* Et Petrus: *Non est aliud nomen sub cœlo apud homines, per quod servandi simus.* Quibus testi-

Ioan. 6.

2. Io. 2.

1. Io. 4.

Gal. 5.

Act. 4.

testimoniis docemur, quæ loca testantur, qui crediderit filium Dei esse Iesum Christum, servatum iri, non ita intelligenda: quasi quomodo credit aliquis, Iulium Cæsarem primum fuisse qui Republica in servitutem redacta, Romæ solus rerum sit potitus: aut quamlibet rem aliam quæ ad se nihil pertineat: si quis eodem modo crediderit, Iesum Christum Dei filium esse, is salutem sit adepturus. Sed eum rectè Iesum Dei filium credere: qui id credit, tanquam rem quæ ad se pertineat: hoc est, qui credit eum quem Iesum nominant, Dei filium, & suum Iesum, & suum Christum esse, hoc est, suum servatorem, & suum regem, in quo solo omnem suę salutis spem habeat positam. Nisi hæc admittatur expositio, neque Pauli neque Petri verba consistent.

Hæc nos per pauca illa quidem invenimus quæ exprimant divinæ literæ cuique, vt servetur, necessaria esse creditu: nempe, *vt agnoscat vnum solum verum Deum, & eum quem ille misit Iesum Christum eius filium, hominem factum, & eum à Deo ex mortuis fuisse excitatum credat: ac per eius nomen salutem se adepturum, non in legis operibus positam habeat iustitiam*: quinimmò persuasum habeat, nullum aliud nomen sub cœlo esse per quod servandi simus. Ex-

ploremus

ploremus nunc, quidnam sit aliud quod ex iis quæ jam posita sunt, consequatur, etiam necessarium esse creditur. Ac cùm doceant divinæ literæ, omnem hominem severo Dei judicio esse obnoxium: quippe qui propter primorum parentum lapsum in peccatis conceptus, ac natura præditus qua nunquam non Deum offendat, æterni sit reus supplicii: cum doceant etiam, fore tandem hujus mundi finē, & vt reviviscant noviſſimo die omnes: *iusti quidem ad sempiternam beatitudinem, iniusti verò atque impij ad sempiternos cruciatus*: intelligere nemo potest, quid sit servari, ac proinde neque quod oportet credere, nisi & suum statum, & divinam legem, & Dei propositum de judicandis vivis ac mortuis aliquatenus cognitum habeat. Testatur enim Apostolus, *Ex lege oriri agnitionem peccati: & se peccatum non fuisse cogniturum, nisi per legem.* Rom. 3. Non sequitur autem ex iis quæ posita sunt, tantam aut divinæ legis aut humanæ conditionis cognitionem esse necessariam: vt si quis in alicujus præcepti interpretatione, aut in æstimandis humanis viribus paululum aberraverit, salvus esse non possit. Sed tantum sequitur esse necessariam, vt quis intelligat æternæ damnationi se obnoxium.

à qua deinde confidat se per Christum liberatum, ejusq; beneficio sempiternæ destinatum beatitudini. Cum etiam palàm testetur Paulus, nihil esse rei cum Christo iis qui in lege positam habuerint justitiam, in Dei inquam lege : quid de iis dicatur: qui in hominum legibus in hominum mandatis & inventis justitiam positam habuerint: multò certè magis Christi beneficio excidisse dicendi erunt. Cum similiter doceant divinæ literæ, per solum Christi nomen sperandam esse salutem : sequetur, vt qui per nomen aut beatæ virginis, aut Petri, aut Pauli, aut cujusvis sancti viri, speraverit se salutem adepturum, ei cum Christo nihil rei sit. Cum item in necessariis creditu positum sit, quòd Christus à mortuis excitatus fuerit: neq; intelligi possit revixisse qui prius mortuus non fuerit: vtiq; & mortuum eum esse necessariò credendum erit. Quoniam deniq; præceptum est Domini, vt *vt omnes doceantur Evangelium & baptizentur in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti*, cujus opus est hæc fides: quatenus ille corda nostra aperit, & hanc Dei in nos beneficentiam nobis patefacit: & hoc mandatum cognoscendum est & quòd sit Spiritus sanctus per quem credamus, & per quem Deus in nobis habitet

Mat. vlt.

qui

qui denique assiduis precibus petendus nobis à Deo sit. Quid præterea demonstrare possim vllo diuinarum literarũ testimonio, ad salutem cognitu omnino necessarium, equidem fateor me non inuenire. Si quis plura docere possit, nihil mihi fuerit optatius, quàm quæ non illa sint, intelligere: & quænam ea sint testimonia, quorum authoritate pro necessariis agnoscere illa oporteat, audire. Vt autẽ nunc singillatim quænam putemus in necessariis habenda non esse, enumeremus, neque necesse est, neque expedit: & infinitus labor fuerit. *Est enim rectum & sui & obliqui regula.* Tantũ quo melius intelligatur, quicquid in controversiam venerit, qua ratione euinci possit aut esse, aut non esse ad salutem cognitu necessariũ, duo excutiemus dogmata: vt quomodo hæc excutientur, alia excutiantur omnia

In cæteris concordiam fraternam cole.

Sabellius (vt Vigilius martyr Tridentinus episcopus refert) ita agnoscebat patrem filium & spiritum sanctũ vt non alium patrem, alium filium vellet intelligi. Sed qui pater esset, eundem aiebat Mariæ virginis vterum impleuisse, & in eo ipso homine quem assumpsisset, filium nuncupari, cùm non alius atque alius, sed idem pater intelligeretur. Atque hac ratione vnum Deum coli. Quærat igitur aliquis: sit

necne hæc res ejuſmodi, vt neceſſe ſit ei qui ſervari velit, in ea non errare: hoc eſt, potuerit, necne Sabellius tali cum errore ſalvus eſſe: an omnino pro hæretico, ita vt habitus ſemper eſt, haberi debeat. Sanè illud creditu eſſe neceſſarium, demonſtratum jam eſt, quòd Ieſus Chriſtus ſit Dei filius. Atqui credere, Dei filium eſſe, non eſt vel verba hæc pronunciare, vel etiam cogitatione filii Dei appellationem Chriſto tribuere: ſed potius id quod verba ſignificant, ſincera fide ei tribuere. Verbum autem filii non ſignificat tale aliquid: non inquam ea eſt hujus verbi notio, vt quis intelligi poſſit ſui ipſius filius. Quemadmodum neque pater intelligi poteſt ſui ipſius pater: ſed filius dicitur qui patrem habet, non ſe, ſed alium: & pater qui habet filium, non ſe, ſed ſimiliter alium. Cum igitur patrem cum filio confunderet Sabellius, negaretque alium atque alium eſſe: ſatis evincitur, Chriſtum ab eo Dei filium creditum non fuiſſe; id quod omnino creditum oportuit. Quo exemplo docemur, quæ divinitùs proponuntur tanquam creditu neceſſaria, in iis diligenter quid verba ſignificent, videndum eſſe, ne inani quadam verborum vmbra retenta, quas res verba ſignificant, negemu

mus, sed ipsas res sincerè amplectamur. Hoc dogmate sic excusso, aliud quoddam vt quidem nunc sunt tempora, cognitione fortè haud paulò dignius, aggrediamur.

Magna jamdudum fuit, & verè tragica controversia, de interpretatione verborum eorum, *Accipe, hoc est corpus meum.* Quare videamus, an res hæc tanti sit ponderis, vt propter eam alii alios rejicere, exagitare, omni contumeliæ genere afficere, & hostium loco habere debeant. Non necesse est autem, me hoc loco, vtrarum sim partium, aperire: tantùm eatenus quidem, vtrarumq; esse me profiteor: quòd vtrosque ad veram Dei Ecclesiam pertinere nihil prorsus dubitem. Agam autem seorsum cum vtraque parte: atque vt vtrosque alioqui rectè dicere concedam, ac Domini verba rectè interpretari: tamen docebo, neutros debere alteram partem damnare, aut vllius hæreseos ream facere. Agè igitur, vt hinc dicendi faciamus initium, qui in Domini verbis nullum admittitis tropum: sed vt verba sonant, ita intelligenda esse arbitramini: eos qui tropum inesse volunt, non solum Domini verba perperam interpretari dicitis, sed etiam eodem habere loco videmini, quo qui pessimè de

religione ſentiant. Nullum ſatis atrox videtur verbum ſuppetere, quo illos pro merito execremini. Quid ſi cum tam magno atque infando errore ſalutem nihilominus conſequi poſſint, atque ad Dei pertineant Eccleſiam? Qui poſſint (dicetis) quibus aut mendax, aut ineptus ſit ipſe Dei filius abſurda, & cum rationis judicio maximè pugnantia, pronuncians? Hem miſeros, quò nos impellunt ex contentionibus natæ ſimultates? Ergone quia in controverſiam vocetur verborum interpretatio, neceſſe protinus ſit mendacem facere Chriſtum? Quis vnquam eorum quos hac in re habetis adverſario, negavit illis, aut vllis aliis Chriſti verbis fidem eſſe adhibendam? Immò cuî vnquam in mentem venit, quicquam ſuſpicari ejuſmodi? Scilicet, ne mendax ille eſſet, vererentur, propter cujus nomen ſæviſſimos quoſque contemnere poſſent tyrannorum cruciatus. Faceſſat moroſa iſta, atque omnino iniqua interpretatio: de verborum ſententia lis eſt, non de veritate: qua nihil ex rebus omnibus certius eſſe, perlibenter fatentur. At (dictis) adeò clara, perſpicua apertaque ſunt verba, vt non cerni, quæ ſit ſententia, non poſſit. Vobis qui intelligitis, aperta perſpicuaque ſunt: ei qui alium eorum ſenſum eſſe putat

tat, non perinde sunt aperta: aut si sunt, alio sensu sunt aperta. Itaque omnino illud concedatur oportet: de interpretatione solu verborum litem esse, non de veritate. Itaque qui dicis, qui negant Christi corporis præsentiam in Dominica cœna, hæreticos esse, & salutis expertes: quibus id ex sacris literis doces testimoniis? Ipse Dominus omnibus qui ejus nomen invocarerint, qui Dei filium esse crediderint, qui in illo uno non in legis operibus, aut alia e ulla salutis suæ spem omnem positam habuerint, vitam pollicetur. Hanc fidem atque spem constantissimè profitentur ij quos tu hæreticos facis: quibus verbi Dei testimoniis adductus, salutem eis tuo adimis judcio? Profer vnum verbum ex divinis literis, quo pronunciatum sit, tales æternæ vitæ participes non fore. Ex tuo certè capite pronunciare id non licet: an fortè fieri non posse putas, vt quis Domini nomen invocet, & in illo spem suam omnem positam habeat: etiamsi non intelligat, propterea que non credat ejus corpus re ipsa præsens in cœna distribui? Quid ni? Quòd si contendis fieri non posse, vt quis illa credat, nisi hoc crediderit, perlibenter audierim quopacto id quod dicis evincas. Sin potest absque hac

Dominici corporis præsentiæ confessione ea fides consistere, cui salutem Dominus promittit: ac nihilominus qui eam colunt, non desinis pro alienis à vera Dei Ecclesia habere: vide etiam atque etiam ne quod crimen in alios falso jacere sis solitus, quod mendacem faciant Christum, eodem ipse verè te contamines.

Venio nunc ad eos qui tropum in verbis esse volunt, qui ex eo quòd dicatur præsens in pane Christi corpus esse, atque eodem tempore locis quamplurimis, multa permagna colligunt absurda: sed illud præcipuè, quòd cum tali positione humanitatis Christi sit conjuncta negatio. Quare cum hic locus de Dei filio homine facto, à mortuis excitato, ad ea pertineat Christianæ disciplinæ capita quæ ignorare non liceat: negabunt eos qui ejusmodi asserunt præsentiam, nisi resipuerint, servari posse. Quæ ipsi colligunt absurda ex illius præsentiæ positione, vt ea inde non arbitrentur consequi (sive errent, sive minus) tamen experientia testis est, fieri nulla ratione posse. Demus igitur omnino, consequi inde absurda illa omnia. Quid tum an propterea qui statuunt præsentiam illam, absque Christo erunt? Necesse est, (inquies) pugnat enim cum vera

Christi

Christi humanitate ea conditio quæ illius tribuitur corpori: vt possit eodem tempore pluribus locis esse: vt qui dicit, Christi corpus eodem tempore pluribus locis esse, perinde faciat, ac si diceret, Christi corpus non esse corpus, & si Christus vero corpore præditus non est: non est igitur verè homo, & si non est vere homo, aut non factus est vnquam homo, aut non revixit, quorum vtrunq; creditu necessarium esse, ostendimus, cumque pugnantia credere nemo possit: verum sit autem, istos non credere quod Christus vere homo & factus sit, & revixerit: verum igitur, esse non poterit, eos id credere, ac cum non credant id quod est ad salutem cognitu necessarium; consequens est, vt servari non possint. Acriter vrgent isti quidem: sed experiamur tamen, possimus ne ostendere vel cum tam absurdis erroribus salutis spem esse reliquam. Igitur quod dicunt, fieri non posse vt credat aliquis quæ pugnant inter se, id ita demum (vt docuimus) verum est: si intelligat ea pugnare. Fateor enim, nō posse quenquā simul credere, & quod vero humano corpore sit præditus Christus, & quod non sit. At quæ re vera pugnant inter se, videri tamē possunt multis non pugnare. Et si videntur non pugnare: nihil impedit

pedit quominus ea simul credant, quare etiam si verum esset hæc pugnare inter se: neque posse simul consistere, vt aliquod sit verum corpus, & tamen eodem momento pluribus sit locis: possunt tamen videri non pugnare, vt dubium non esset, quin videantur: proinde fieri potest, vt credant homines Dominum vero humano corpore præditum esse: & tamen illud corpus eodem momento pluribus esse locis: Cum credant igitur, & firmissime credant, Christum verum hominem, ac Dei filium, & à Deo à mortuis excitatum esse, & alia omnia quæ sacræ literæ, tanquam necessaria creditu, proponunt: quid est quod eos in suo etiam errore servari posse neges? Apparet igitur, tam eos qui Dominici corporis præsentiam in pane statuunt, quam eos qui eam negant: quanquam in errore versari alterutros, necesse est: vtrosq; tamen (si alioqui Domini præceptis syncere pateant) in via salutis esse. Quo fit, vt debeant sibi mutuo charitatem, ac venerationem, tanquam fratribus Dei seruis, & Christi membris. Si convicijs, contumelijs ac maledictis sese mutuo exagitaverint: si odia inter se perrexerint exercere: non evadent severum Dei iudicium. Itaque hortor vtrosque obtestorq; per Christum Iesum

sum: vt simultatibus depositis, temerarijsque iudicijs, charitatis officijs certent inter se: & controversias amice humaniterq; tractent. Absint maledicta, scommata, contemptus, ita fiet certissime, vt qui errant, ad veritatis tandem agnitionem pertrahantur: Si semel hæc animorum coniunctio coaluerit, non negabit nos Dominus quencunque fauorem ac successum: neque committet vt patiatur, qui vera cum charitate fratres suos ab errore conati fuerint avocare, eorum absque fructu comsumi operam.

Iam quomodo hæc duo dogmata discussimus, Sabellij videlicet errorem, ac controversiam de corporis Christi præsentiam in pane eo qui fidentibus distribuitur, quiuis facile, quæcunque alia in controversiam venerint, dijudicare poterit. De quocunque enim errore sit quæstio, inspiciendum est, vtrum qui sic errat, possit nihilominus ea credere omnia cum quibus salutis conjuncta est promissio. Vt si possit, intelligat errorem in re ad salutem cognitu necessaria non esse. Si non possit, intelligatur esse. Cæterum quemcunque damnari aliquis velit ob errorem quempiam, quàm exploratum habeat cum tali errore contingere salutem non posse, videndum illi est

etiam

etiam atque etiam, quid enim? Cum dicat Dominus. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onere pressi estis, & ego vos sublevabo:* tanta erit aliquis temeritate, vt accedentem retrahere audeat, atque ei suo ex capite dicere: Heus tu? Frustra accedis qui hoc & illud non credas, quis tu es qui id tibi sumas? Quis tu es, qui alieno seruo sis impedimento? Qua fiducia id tibi sumis, vt diuinam voluntatem tibi non valde perspicuè expressam, diuines? Tu scilicet diuinæ bonitati, misericordiæ beneficentiæq; tuo ingenio vllos præfixeris terminos? Ille ipse cuius est vitam largiri, omnes ad se vocat ac tuis nescio quibus acceptionibus quã pollicetur gratiam non limitat: tune limitabis? Quid facis autem, quum hoc facis? Certe quantum in te quidem est, homini vitã eripis: neq; sanè hanc quæ verius mors est, quàm vita, sed sempiternã, & cœlorum regnum & sempiternis addicis cruciatibus, neque vni hanc facis iniuriã, sed fortè multis millibus. Christum totidem mutilas membris discerpis Dei ecclesiam in sectas: deniq; infinitis malis viam sternis. Ac si tanta severitate minatur Dominus ei qui minimo cuivis offendiculo fuerit: quid ijs futurum putes, qui temerarijs suis iudicijs ad sectas faciendas homines adegerint nul-

la

la neceſſaria cauſa? Veh illis. Quod ſi non ſatisfacit neceſſaria religionis capita à non neceſſariis dignoſcendi ratio a nobis tradita: profer ipſe, ſi potes, meliorem, ſed certam, firmam atque conſtantem. Si miraris inter ea quæ recenſuimus cognitu neceſſaria non numerari quoſdam, ſummo quamuis loco habitos religionis apices, evolue diligenter totum vetus & novum Teſtamentum: & perquire, quibus teſtimoniis docere poſſis, apices illos vſque adeo cognitu neceſſarios eſſe, vt ſervari, niſi qui aſſequutus eos fuerit, non poſſit. Expende quam potuerint ex veteris Teſtamenti libris Iſraelitico populo eſſe cogniti: quos tamen eadem qua nos fide ſervatos oportuerit. Quinetiam expende, quæ cognita habere potuerit vel latro ille, quum ei dictum eſt: *Hodie mecum eris in paradiſo:* vel Eunuchus, quum eſt à Philippo baptizatus: vel impudica mulier, cui, cum lachrymis Domini pedes laviſſet, dictum eſt: *Tua te fiducia ſervavit*, vel altera illa ſanguinis profluvio confecta, vel Paralyticus, vel tot alijs, quibus ad ſolam nominis Domini confeſſionem condonata ſunt peccata. Obſervandum eſt etiam, quid ſit quod, cum ea quæ neceſſaria eſſe docuimus, tam ſæpe repetant divinæ literæ, tam ſæpe exigant

exigant vti neceſſaria: non ſimiliter exigant quæ quidem tanti faciant. Si humano ingenio conſcripti eſſent libri illi quos pro ſacris (ita vt ſunt) agnoſcimus, bonum alicubi dormitaſſe Homerum doceremus. Sed Dei ſpiritu authore ſunt ſcripti, qui neque memoria lapſus eſſe poteſt, neque dormitaſſe. Non igitur caſu id factum eſt, ſed certo Dei conſilio: qui ſi eodem illa loco eſſe voluiſſet, ſaltem certe alicubi aperte ſemel teſtatam ſuam voluntatem reliquiſſet. Cumq; id non fecerit, quis eſt homo, vt Dei voluntatem divinare poſſit? haſce res non noſtro aut iudicio, aut ingenio metiri oportet: ſed divina ſapientia cœlitus nobis patefacta, quicquid ratio dictet: hæc ſola eſt audienda.

Cavendũ ante ne temere damnetur ſue dogma ſive homo.

Cæterum ſi quis in re erret, quam certam exploratamq; eſſe oporteat, neq; ad ſanitatem revocari ratione vlla poſſit: eum juſtè damnari, & ab reliquo piorum cœtu rejici, nemini dubium eſſe debet. Neq; ſolum ſi & ſeducere alios pergat admonitus ne faciat: ſed etiam ſi ſilentium cuſtodire velit, neq; enim quicquam commune cum Dei eccleſia eſt illi cuius fidei promiſſa æterna vita non ſit. Sin punctum de quo malè quis ſentit, ex eorum numero non eſt quæ omnino ſint cognitu ad ſalutem neceſ-

ceſſaria: iam diſtinctione arbitror opus eſſe. Nam ſi is qui male ſentit, neque ab errore abduci poteſt, etiam ſeducere alios conatur, quanquam ſæpe vt deſiſtat admonitus: quin reijci à cœtu poſſit, debeatq; non video. Nam fratres offendit vehementer non enim ſi res ex præcipuis non eſt, ideo error non pernicioſus non eſt. Quemadmodum enim ex ſcientia vna ſcientia ducitur alia: ita oriuntur ex erroribus errores: quid autem (cum vllo pacto ad Dei gloriam pertineat) non magni eſſe poteſt momenti? Quod ſi alios non ſeducat: dum, quæ neceſſaria ad ſalutem ſunt tenet, quanquam infirmus, in fratrum tamen adhuc ſit numero, itaq; ſi abſcindant ab eccleſia, vivum adhuc membrum à Chriſti corpore (quantum in ijs eſt) abſcindant quod nefas ſit, neque ſane mandatum extat Dei, fieri vt id debeat. Atq; hactenus de iuſto iniuſtoq; iudicio dictum ſit: nunc vt rite rectèq; eo veniatur, quid ſequi, & à quibus cavere oporteat, videndum,

Ad dogmata quidem quod attinet, ſi valde pernitioſus exoriatur error, nihil cauſæ eſt, quamobrem cunctemur, quin primo quoque tempore occurratur: doceaturq; populus (vt ab eo caveat) quale ſit dogma. Sed homo eijciendus non eſt antè,

quam

quam ex Evangelij Præscripto eius lucrifaciendi causa frustra tentata omnia fuerint: atque ad reiectionem si veniendum omnino sit, videndum est vt nihil fiat, ex quo ad Ecclesiam aliquod redire incommodum possit. Atqui obscurum illud non est, qno peius in Ecclesiam animatus quis fuerit, eo illi plus expectandum inde negotij: videlicet vt eo improbius, eoq; animi contentione insidias ei machinetur: vt clam seducat quoscunq; possit: vt calumnijs invidiam conflet, aliaque moliatur eiusmodi. Quo autem acerbius acceptus quis fuerit, eo peius fuerit animatus. Quare, me quidem authore, ita damnabitur hæreticus: vt exposita simpliciter causa convicium probrumq; omne absit: hetq; cum significatione magis doloris, quam iræ vllius, aut odij; vt iudicium quidem gravitatem habere, non acerbitatem vllam videatur. Sed supra, cum de privati hominis officio ageremus, ea dicta sunt quæ non minus ad hunc possint locum accommodari: ostendimusq; nunquam non plus accipi possit incommodi ex verborum acerbitate, quam commodi. Deniq; cavendum est, ne ij iudicium siue doctrinæ, siue hominis sibi arrogent, quorum non sit. Certum est enim id non privati esse cuiusquam: sed nequ

duorum

duorum aut trium: quinimmò ecclesiæ. *Prophetæ duo aut tres loquantur* (inquit Paulus) *cæteri dijudicent.* Atque hoc quidem pacto ecclesia pullulantibus erroribus authoritate sua occurrit, nunc de Magistratu est dicendum. Locus est controversus & perplexus, si quis alius, & in quo plurimum sit momenti. Qui ab receptis dogmatibus abhorrent, siue melius ipsi sentiunt, siue deterius: ijs vehementer graue est, non posse impunè in medium afferre quod sentiunt. Contra, quorum jam doctrinam & Magistratus & populus comprobavit, qui quo authoritatem sunt adepti, cum sine magna molestia, nonnulloque etiam sæpe existimationis suæ discrimine audire quotidie controversias nequeant: ijs ad eos qui receptæ acquiescere nolunt doctrinæ reprimendos, non potest gladij vsus non maximè videri necessarius & fere vt quidque cuique ex vsu est: ita etiam facillimè rectè id fieri sibi persuadet. Quare cum proprij commodi habita ratio judicare satis rectè non permittat, ab huiusmodi rationibus abducenda est (quoad ejus fieri potest) cogitatio, aut si id factu sit difficile, proximum est, vt saltē cogitatione suū quisq; contrariam in partem cōmutet statum: ac sic rationē ineat, quid maximè

1 Cor. 14.

Secundo, Magistratus.

cum expedire, tum divinæ legi consentaneum esse videatur. Itaque si tibi commoda futura sit siue libertas, siue licentia: finge te eius esse loco qui receptam probet, conseruatamq; cupiat doctrinam: ac quotidie esse qui tibi negotium faciant homines nulla eruditione, nullo indicio, nullo spiritu, sine pudore, quotidie obstrepere, maximeque molestos esse, de summis religionis capitibus sarctores, piscatores, lanios, coquos, mulierculas, pueros confidentissime argutari, contendere, nihil intactum relinqui, omnia in dubium vocari, simplicibus fucum fieri, offendiculis omnia repleri. Certe hoc in statu si saltem (vt dixi) cogitatione fueris, atque hæc fieri intelligas: vix profecto videri tibi possit non maximè necessarium, tantã frænari licentiam. Quod si tum ea inspexeris diuinarum literarum loca quæ armare magistratum in religionis corruptores creduntur: forte multo fueris, quam ante in eam partem proclivior, vt ea putes ad rem facere. Qui arbitratur eam quæ vulgo recepta est doctrinam veram & sinceram esse: consultumq; putat, ad eam conservandum morte multare hæreticos: cogitat fieri posse nihilominus, vt paulatim dormitantibus pastoribus corrumpatur doctrina, degeneretque:

Controversiæ religionis an gladio dirimendæ, aut accersendus carnifex ad errantes.

que à priſtina pietate eccleſia. Quamprimum enim contingit ei pax tranquillitaſq; aliqua, ſolvitur paulatim diſciplina, refrigeſcit pietas, atq; obrepit Dei, eiuſq; legis mira quædam obliuio. Quam ingratitudinem cum invltam ſinere non poſſit Deus, ſuum ſubducit ſpiritum, ac liberiores ſeductoribus habenas ſinit, cuius artibus ac vafricie fit, vt, tametſi doctrina eadem manere videatur, mutetur tamen paulatim, corrumpaturq; vbi autem invaluit vſus controverſias de religione gladio dirimendi, qualiſcunq; doctrina ſit poſtea in populo: quiſquis ei doctrinæ adverſari auſus fuerit, ſiue iure, ſiue iniuria, omnino hæreticus habeatur: & quæcunq; aut ex divinis literis teſtimonia, aut argumenta attulerit, ad ea omnia vnus reſpondebit carnifex. Atque ita fiet: vt quæ olim iuſta ſeveritas fuerat, ſatana demum longè latequè dominante, in portentoſam immanemq; evadat ſævitiam: finge igitur, te in ea incidiſſe tempora quibus ijs qui rectè ſentiunt, reprehendere vulgo receptos errores impune non liceat: ſed ſi quid mutire auſi fuerint, gladius, cruces, ignes præſto ſint: cauſæ dicendæ locus ſit nullus: ſuccurrat autem eiuſmodi tyrannidi à ſumptis de veris hæreticis ſupplicijs originẽ duxiſ-

se: profectò malis nullum vnquam in hæreticum animadversum fuisse, quam talem introductam tyrannidem. Cogitandum est etiam, quàm non respondeant persæpè votis eventus hæreticis occidendis. Nam si quis intelligat se haud tuto suam in medium afferre sententiam posse, eam non quandocunque, non vbicunque, non cuicunque, aperiat: sed explorabit ante animos, cuniculos fodiet paulatim, insinuabitque sese, ac si videat parum idoneo se fodere loco, alio sua convertet consilia. Sin animadverterit patere sibi aures, progredietur paulatim vltra, dum totum amici occupet animum, idque faciet modo cum hoc, modo cum illo quosque faciet erroris consortes, eosdem fere faciet studij ac alios atque alios clam corrumpendos, ac sectam propagandam, vt antequam intelligat magistratus vnum seductum fuisse: magna nonnunquam seducta sit pars populi: ac penè immedicabile acceptum sit vulnus. Cumque hæc clam fiant, ne ij quidem qui præsunt ecclesiæ sua adhibent ad errores convellendos remedia, verbi videlicet vim: nam vt nonnullos audiant rumores: quid tamen fiat, plane intelligere non possunt, quibus seductores vtantur artibus, quibus sua rationibus persuadeant, nemo est

est qui referat. Qui possent enim, neque audent, neque volunt: qui vellent, ignorant: ac plerunque suas tantum referunt suspiciones, aut figmenta, ac si maxime habeant pastores quod eam in rem afferant: cum ijs quibus mederi eos oportebat, quasi tyranni quidam vehementer sint exosi, eorum sine fructu omnis insumitur opera præsertim si & illa accesserint, quæ plerunque solent, verborum acerbitas, & probra. Præterea, cum pastores conservandæ doctrinæ, resistendique hæreticis in gladio positam habeant spem, neque videant ad eam tuendam magna se opus habere eruditione, desidiæ dant sese: atque ita paulatim ignoratio sequitur rerum omnium: vt postea nullas non superstitiones atque errores obtrudere satanas possit nullo negocio. Ac ne illud quidem parui faciendum est, quod cum insectationes, ignominias, afflictionesq; religionis causa perpeti piorum plerunq; sit: hac quasi nota certissima, præsertim si eas animo forti, hilari constantique ferant: & inculpta sit externa vita, simplicibus suam causam vehementer probant: contraq; à quibus talia perpetiuntur, ij vix magnæ iniusticiæ, tyranicęq; sævitiæ effugere opinionem possunt. Quibus rebus fit, vt quotidie magis ac magis

exulcerentur, obfirmenturq; in errore animi, ac fiant prorsus immedicabiles: quorum quidem malorum exempla haud magnoperè opus fuerit ex veteribus exquirere historijs. Nimis enim multa sunt ante oculos, quæ si quis diligenter consideret, næ ille quamobrem ad extirpandas hæreses gladij magnopere vsum desideret, vix habeat. Denique vt judicium purum sincerumque sit, ita te compares oportet: vt non magis hoc, quam illud velis: sed illud solum, vtramcunque tandem in partem cadat: quod magis & verbo Dei conveniat, & cum eius gloria coniunctum sit.

Ac illud quidem certum est, inseductores veteri lege mortis pœnam constitutam
Deut.13. fuisse, quin etiamsi civitas quæpiã seducta à legitimo Dei cultu ad idola defecisset, eã civitatem iubebat lex deleri, vrbem incendi: neque postea reparari vnquam. Sed sunt qui tantum vsque ad Christũ viguisse eam legem putent, neque in Novo fœdere locũ ei esse, ex eo capta coniectura quod Israeliticus populus Christiani populi esset typus: haberetq; etiam promissiones rerum subsensum cadentium, quarum hac in vita esset vsus, talia haberent sacrificia: talia denique omnia: quæ tamen invisibiles res, ad

æter-

æternamq; vitam pertinentes significarent. Quod cum ita sit, colligunt, & pœnam illã corporalem æternæ damnationis typum fuisse: ac propterea legem hanc cum cæteris omnibus ad futuram rerum significationem latis Domini adventu cessasse. Quę quidem coniectura adeo mihi non inepta visa est, vt quamobrem reijci posset, non inuenirem: nisi ei ratio in lege posita refragaretur. Est enim in lege: vt *omnis Israel audiens timeat, neque posthac quicquam admittat eiusmodi.* Quæ certe ratio perpetuo viget: vt quanquam lex ipsa expiraverit, tam sit tamen ius magistratui similem aliam condendi, quam ei ius est in homicidas, adulteros, alioſque facinorosos homines leges condere. Sed contrarium tamen suadere videntur Domini verba, quo loco zizaniorum proponit similitudinem. Servis enim interrogantibus, *deberentne ire collectum zizania*, respondisse traditur paterfamilias, *ne irent: ne forte colligentes zizania etiam triticum evellerent.* Quem locum cum alij aliter interpretentur: intelligere est, quantum referat, testimonia conquirere: non vt fixam iam in animo tuo constabilias sententiam, sed vt ijs considerate excutiendis veritas palam fiat. Esset autem ad veritatis inventionem via,

Parabola de zizaniis excutitur. Matth. 13.

si reperta expositione quæ tuæ suffragari sententiæ videretur, dissentientis sumeres personam: & quid contradici posset diligentur perscrutare, neque tibi quam primum plauderes. Ita fieret, vt qui dissentiunt inter se, non perpetuo dissentirent: sed crederent tandem errantes rectè sentientibus. Atqui de victoria plerunque magis sumus solliciti, quam de veritate; quoniamque propositi nodi solutio omnino in huius loci vera expositione posita videtur, cavendum est etiam atque etiam, ne nobis vllum studium oculos præstringat, neue parum diligentiæ, temporisue in eo expendendo insumamus. Sane quidem ea interpretatio qua dicunt quidam, Christum non quemlibet rigorem hic tollere, sed toleranda esse mala, admonere, quæ sine pernicie corrigi nequeant: haud videtur patrisfamilias verbis consentanea: non enim dicit, Age, ite: sed videte etiam atque etiam, *ne vna cum zizanijs etiam triticum evellatis*, sed omnia vetat ire. Vultque tam zizania, quàm triticum crescere vsque ad messem. Ex quo aparet, magnam verbis vim fieri tali expositione, neque sane commodius exponere ij videntur qui de vniversa ecclesiæ perpurgatione hic agi volunt, quam jubeat Dominus in novissimi

vissimi diei tempus differri: sed non propterea vetari particulares ecclesiarum perpurgationes. Neque sanè prolixè excutiendum videtur, quàm verè dicatur pro patrisfamiliâs seruis angelos accipi: quin potius quid vetitum sit, intentis animis inspiciamus. Hinc enim facilè etiam quibus vetitum sit, palàm esse possit. Ac constat quidem, triticum esse pios, zizania impios: omne autem impiorum genusne, an quoddam solum postea videbimus? Et ager quidem est mundus. Est igitur zizania ex agro colligere, impios occidere, & ex numero hoc in mundo viventium tollere. At vetat id fieri Dominus, vultque eos crescere cum tritico: neque ab eo ante messis tempus separari. Sed (ais) vetat universam agri perpurgationem fieri, non particulares singularum ecclesiarum. Quid ergo, si ita diligentes homines sint particularibus illis purgationibus faciendis, vt nulla ecclesia relinquatur non purgata? An non sic vniversa facta purgatio fuerit? Sed negas id posse fieri: at finge, posse: fatearis necesse est, nulla particulari Ecclesia relicta non purgata, vniversam purgationem fore factam. Quod si accideret aut messis tempus, contrà accideret atque Dominus mandasset, quam cum ante mes-

sis

sis tempus fieri noluerit : tam profectò per homines fieri noluit, quàm per angelos. Quòd si magistratus quilibet aggrediatur non quidem vniversam purgationem quã non possit facere, sed eam quam potest: quid aliud hoc fuerit,quàm contra Domini voluntatem atque mandatum facere, quantum potest ? Ac certè quantulacunq; purgatio fuerit,vniversæ pars erit : vt qui fecerit quantam potuit, per eum non stetisse dicendum sit, quominus vniversam faceret. Ex quibus quidem efficitur,vt probari expositio hæc non possit. Alii tantùm, ne bello tollantur zizania,interdici volunt: sed cum verba æquè & ad eam accommodari possint zizania evellendi rationem qua in singulos animadvertendo evellant: & ad eam qua bello evellant,qui de altera tantum sensisse vult patremfamilias, certâ, quamobrem sic interpretetur, ratione non allata,is non interpretari, sed divinare dicendus est. Nisi enim certa ratio aliud suadeat,vt sonant verba, ita sunt accipienda: vt si generalia sint,& generalem esse intelligamus sententiam : si lex non distinguit; nec nos distinguamus. Quonam igitur pacto similitudinem hanc exposuerimus: Non possent (inquis) verba illa, *Sinite vtraq; crescere vsq; ad messem* ,sic, vt sonant

intel

intelligi, vt sinendi sint crescere tam impii quàm pii: hactenus non repugno. Video enim quæ sequantur absurda: siquidem tolleretur omnis magistratus authoritas, omnisq; disciplina. At certum est tamen, quoddam hîc poni impiorum genus, qui tametsi videri potuissent de medio tollendi: tamen iis quorum fuisset id facere, ne faciant, interdicitur. Intelligi autem hoc non potest dictum de adulteris, latronibus, aliisue facinorosis hominibus, cùm constet *Magistratus à Deo constitutos esse: ac eius esse ministros, & vltores malefactorum, neq; frustra gladium gestare:* quinimmò ne si triticum quidem, hoc est de electorum numero videatur esse is qui adulterium, homicidiũ, aliudve facinus patraverit (quippe quia insignis secuta sit pœnitentia) ideo ei parcere magistratus debebit, nec sanè quisquam tam amens fuerit, quin facinorum monstra quædam gladio vltore intelligat omnino coerceri oportere. Quod si ad impios omnes accommodari quod in similitudine dicitur, non potest: ad quos quidem pertinet, ii ab aliis omnibus aliqua certè differentia distinguantur oportet. Vnde autem melius ea sumatur differentia, quàm ab ea re qua maximè differunt inter se pii, atq; impii? Ea verò quænam sit? An non

Rom. 13. 1. Pet. 2.

non religionis doctrina? Cujus potissimum respectu hi quidem pii, illi dicuntur impii. Sed impiorum duplex genus est: nam alii à vera religione & re & nomine alieni sunt, vt idolorum cultores, vt Turcæ: sed maximè athei: alii nomine quidem ac professione Christiani sunt, sed re ipsa non sunt: quippe cum eorum magnis erroribus fœdata corruptaq; sit doctrina quos Hæreticos appellamus. Prius genus rursus duas in partes potest distribui. Quidam enim Christianam religionem professi nunquam sunt, quidam ab illa defecerunt. A religione igitur cum sit sumenda differentia, dicere oportet: aut de vtroq; hîc agi impiorum genere, aut de alterutro: de vtroq; vt intelligamus, non magnopere suadent similitudinis verba: agitur enim de semine quod inimicus inter triticum severit: vt de iis impiis agi appareat, qui inter pios, hoc est veros Christianos, versantur: quique Christianorũ se ornant nomine: quod genus sunt hæretici. Ac vehementer quidem id convenit zizanii naturæ: dicitur enim aliud esse nihil, quàm triticum, aut hordeũ nimia loci vligine corruptum, frequentibusq; pluviis dilutum: vt hæresis significari similiore vlla re non potuerit, perinde est ergo, ac si servi Dominum interrogassent,

deberent

deberent necne occidere ac de medio tollere hæreticos. Hanc neq; absurdam, neque incommodam, sed potius necessariam esse hujus loci expositionem, intelliget, opinor, quisquis verba nulli studio, præterquam veritatis addicto, expenderit. Dicitur *inimicus inter bonum semen, suum seviſſe*: inter semen (inquam) quod seviſſet Dominus. At seminis quidem vocabulum accipitur modò pro ea re ex qua quid nascitur (idque propriè) modò (sed minus propriè) pro re quæ nascitur ex semine. Propriè autem semen quod seuit Dominus, fuit Evangelium, quod docuit: quemadmodum proximè, præcedenti similitudine vsurpatur; impropriè autem sunt ii qui crediderunt Evangelio. Sic Diaboli semen propriè sunt falsa dogmata inter Christianos sparsa: impropriè autem, sunt ii qui falsa illa dogmata amplectuntur. Ita autem appellari tam pios Domini semen, quàm impios semen diaboli: vt habeatur respectus ad semen vnde eorum tum pietas, tum impietas originem duxerint, palam est ex eo, quòd post factam sementem dicantur creviſſe bonæ pariter ac malæ herbæ: ac serui mirati fuiſſe, vnde essent zizania: cum non nisi bonum semen fuisset iatum: neq; nisi malo ex semine malæ herbæ nasci potuiſſe

tuisse viderentur. Quibus ex rebus efficitur, vt zizaniorum nomine intelligi alii non possint, quàm hæretici. Vetus igitur lex (inquies) ejusq; ratio abrogata prorsus per hanc fuerit. Sed quid si nihilominus vigere vtraque simul queat, neque hæc illi quicquam deroget? Mirum (opinor) videatur. Sed quid si possit? Quid tandem causæ reliquum erit, quamobrem hæc admittenda non sit expositio? Age igitur, videamus possit necne cum illa hæc stare, etiamsi hæreticos vetet occidere, In quosnam autem lata est vetus lex? Certe in eos qui à Deo Israelis ad externorum deorum cultum vel abducere alios conati essent, vel seducti ipsi defecissent. Atqui eos qui tale quid faciant, non hæreticos appellamus, sed desertores, transfugas, & ferè Græco vocabulo, apostatas, Hæreticorum ibi mentio est nulla. At perinde abominatur Deus eum cultum (dices) qui à suis abhorreat mandatis: atque si externos deos colas: Sit ita sanè: sed quid tum? An propterea palam est, quæ lex in apostatas sit lata, eam ad hæreticos trahendam? Hæreticus Apostatæ appellatione aut ratione non continetur, neque sanè vllo alio legis verbo attingitur. Quòd si ad eum trahere legem velis, id fiet non quidem ex propria verbo-

rum

rum vi: sed (vt Iureconsulti loquuntur) per extensionem, latamq; interpretationẽ, Atqui cognoscendum prius fuerat, omnisne lex ejusmodi admitteret extensiones: & si non omnis, quænam admitterent: & quamobrem: & vtrum in ista ea inessent propter quæ facienda esset extensio. Certè quod verba non exprimunt: ad id si legem accomodes, id fit tantùm conjectura quadam legislatoris mentis. At de quo legislatore hîc agitur? De eo nempe cujus mentem divinare tam sit difficilè, quam quod difficillimum: vt conjectura omnis eiusmodi carere magno dubio non possit. At verò cum generalis extet lex, quæ vetet occidere, non dubiæ legis authoritate, sed maximè certæ ad fundendum sanguinem veniendum esse videatur. Quam quidem difficultatem res haberet omnem: etiamsi inter apostatæ causam, & hæretici nihil nos videremus differentiæ. Suspicari enim meritò possemus, etiam si nos non videremus: multum tamen fortè intereſſe. Neque ad faciendam legis extensionem in cujusquã vitam præcipites rueremus. Sed quid si non desint minimè etiam leves quas cernamus, differentiæ? Nam apostata non tantùm à vero Dei cultu deficit: sed etiam verbo Dei fidem omnem abrogat: apud

hæreticum

hæreticum ejus salva adhuc est authoritas. Vt quibus armis conficias hæreticum, eiq; resistas, præter lapides, aut ferrum habeas: Dei videlicet verbum: quibus apostatam conficias, non habeas. Quapropter voluit fortè Deus hominem à cogitatione deserendi omnino sui cultus, fideiq; omnis suo verbo abrogandæ gravissima pœna constitutam absterrere: neq; tamen voluit eidem pœnæ subjacere hæreticum. Accedit quòd ab apostatis nihil redeat ad ecclesiam fructus: ab hæreticis verò multum. Sed ex eo præcipuè, quòd ab iis excitentur pii ad Scripturas multò studiosius diligentiusque perscrutandas, alioqui desidiæ daturi sese; atque ignorationem rerum omnium paulatim incursuri. Sed maximè illud interest quòd videri magistratui à religione prorsus deficere, aut ad defectionem alios sollicitare qui id non faciat, non potest: aut, vt ei videatur, in doctrina errare qui non erret: aut gravissimè errare, qui non erret adeò graviter, facilè contingere posse, tot controversiæ etiam inter viros doctissimos quibus nunquam non exercetur ecclesia certissimo sunt argumento. Dico autem si errare posse magistratum: non propter rea quòd verbum Dei non sit apertum, aut certum, sed sua culpa: quia ad judicandum

nec

neque eam eruditionem, neque eum ſpiritum adferat, qui eſt opus: vt non id ſtatim ad verbi Dei pertinere videri debeat ignominiam. Quotuſquiſq; enim eorum qui magiſtratum gerunt, etiamſi Evangelio dedit nomen, ſatis multam in divinarum literarum lectione ponit operam? quotuſquiſque ſingulari vlla eſt pietate prudentiaque: vt ab eo vel iniquum, vel præceps timendum hoc in genere non ſit judicium? Dices: Non quæritur, an magiſtratus omnis in eos quos pro hæreticis habeat, animadvertendi habeat jus: ſed de verè pio prudentiq; magiſtratu, deq; veris hæreticis agitur. Audio equidem: Verùm quis non cum gladium geſtet, pius haberi velit: ſitque pro hæretico habiturus quiſquis ſibi in religionis doctrina adverſetur? Itaque illud omnino ſequatur: vt quod jus pio magiſtratui in veros hæreticos permiſſum fuerit, id quilibet in eos, qui ab ſe diſſenſerint, (quicquid tandem ſentiant) vſurpaturus ſit. Cum igitur docuerimus, ne tum quidem legis extenſionem tutò fieri potuiſſe: ſi nihil intereſſe inter apoſtatæ cauſam, & hæretici animadvertere potuiſſemus: quid fiat, cum tam multum intereſſe appareat? Cõſequens eſt ergo, manere quidem ſuo in vigore veterem legem,

aut certè renovari ſimilem poſſe: neque tamen permitti hæreticorũ ſupplicia: quia videlicet alia ſit apoſtatæ, alia hæretici cauſa.

Sed quærat aliquis: anne tum quidem animadvertendi in hæreticum jus ſit: ſi imperato ei ſilentio, non ceſſet quoſcunque poſſit, ſuo inficere veneno? Magni res eſt momenti: periculoſuſq; in vtramvis partem error. Nam ſi ea quidem Dei eſt voluntas, vt magiſtratus in ſeductores hæreticos animadvertant: id vult nimirum, quia Eccleſiæ ſuæ id fieri expediat, & ad ſuam pertineat gloriam: vt ſi negligens in eo fuerit magiſtratus, magnas Deo ſit daturus pœnas: at ſi non vult Deus in eos animadverti, certum eſt etiam ei ſatis magnam conſtare cauſam, quamobrem nolit, vt impunè magiſtratus contra ejus voluntatem facturus non ſit. Ergo diligens danda opera eſt, vt quæ ſit Dei voluntas, non ſuo judicio, aut ingenio magiſtratus divinare velit: ſed vt ex Dei verbo diligenter examinato, atq; excuſſo percipiat. Ac cum conſtet, jam zizaniorum involucro hæreticos ſignificari: niſi quid aliud eſſet additum, quàm quòd vetarenrur occidi hæretici: vera, & ad communem loquendi vſum accommodata interpretandi ratio haud obſcurè poſceret: vt intelligeretur lex (ſic enim liceat

liceat patrisfamiliâs interdictum appellare) hæreticos occidi vetare, quatenus essent hæretici: sive ob id quòd essent hæretici. Quemadmodum si lex vetet furem occidi, vetare intelligatur eum occidi ob commissum furtum. Quòd si quis præterquàm quòd esset hæreticus, contra magistratus interdictum docere veller, non viderentur eum tueri legis verba: tanquam si quis cum furto homicidium conjungeret, non eum liberaret à supplicio lex quæ furem occidi vetaret. Sed addita est ratio & causa, quamobrem nolit paterfamiliâs evelli zizania: videlicet, ne cum zizaniis evelleretur & triticum, hoc est, ne cum hæreticis occiderentur & qui hæretici non essent, sed Dei filii, Oportet igitur ex hac ratione certam legis venari interpretationem, Erroris autem periculum in eo situm esse putant plerique: quòd qui hodie sit hæreticus, olim, si vixerit, possit resipiscere: eaque de causa interdici ne occidantur, cui quidem sententiæ prudenter admodum occurrere mihi videntur ii qui dicunt, si ejusmodi resipiscentiæ habenda ratio fuisset, tam fuisse habendam in veteri lege in seductores, & divini cultus desertores lata, quàm in hac nova lege. Cumque in illa non fuerit habita, ne in hac qui-

dem habitam fuisse, credendum esse. Accedit, quòd qui hodie sit hæreticus: si sit ex Dei electorum numero, occidi non possit, quin ei patefiat antè quicquid ad salutem cognitu necessarium fuerit: si non sit, resipiscentiæ spes cesset. Vt hæc quidem minimè idonea videatur causa: quamobrem hæretico parcendum sit. Ac nisi resipiscentiæ habita fuit ratio, non est aliud erroris periculum, quàm quòd magistratus aliquando pro hæretico habiturus sit eum qui non sit: sive quia non is malè sentiat, sed magistratus: sive quia error haud sit tanti, vt quis ideo pro hæretico sit habendus. Quòd si huc respexit paterfamilias, id est Dominus, profectò definitè declaravit, magistratus non esse idoneos dogmatum judices: interdixitq; illis talis jurisdictionis vsu omni. Sin aliquis adhuc contendat resipiscentiæ habitam fuisse rationem, is tamen non ob id evicerit istius alterius erroris habitam rationem non fuisse. Lex vetat occidi hæreticos, ne cum hæreticis occidantur qui non sint hæretici. Quacunque igitur ratione fieri possit, vt alius pro alio occidatur, ea ratio ad legem pertinere dicenda est, generaliter atq; indistinctè lex loquitur. Qui igitur id sibi sumet, vt distinguere velit, nisi ei certa, quamobrem id

faciat

faciat,constet ratio: potius divinare,quàm exponere videatur, Id quod carere temeritatis vitio non potest: cum generaliter (inquam) atque indistinctè loquatur, nisi certa obstet ratio: generaliter & indistinctè est intelligenda. Qui temerè suo arbitratu distinctionibus excogitandis sibi indulserit, is non interpretari,sed subtili quodam cavillandi genere eludere legis verba velle dicendus erit. Quibus ex rebus efficitur,vt sive resipiscentiæ habita ratio fuit, sive minus: ejus quidem erroris quo magistratus aliquando pro hæretico sit occisurus, qui non sit hæreticus, omnino habita esse videatur: atque ita, vt hæc quidem judiciorum genera ad magistratum non pertineant,neque ad vllos homines, sed ad solum Dei filium qui in *novissimo demum die per Angelos suos separaturus sit â tritico zizania,eaq; in ignem conjecturus.* Quod si magistratus idoneus judex non est ad discernendum inter eum qui sit hæreticus, vt occidere posset: & eum qui non sit, vt parceret: quî poterit idoneus esse ad discernendum inter causam quæ hæreticum faciat,hoc est hæreticum dogma, vt doceri constituta pœna illud vetet,&eam quę non sit idonea causa? Quid est enim hæreticum cognoscere, nisi causam quæ hæreti-

cum faciat, cognoscere? Quid errare in cognoscendo hæretico: nisi errare in cognoscendis causis propter quas habendi sint pro hæreticis? sed introspiciamus tamen paulo penitius. Certè enim apparet ex patrisfamilias verbis, quòd interdixerit servis, ne zizania colligerent: id eum non zizaniorum gratia fecisse, verùm frumenti ejus quod per errorem pro zizanio accipi posset. Voluit enim (vt apertè loquamur) verbis hæreticis parci: vt verorum Dei servorum saluti consuleret, negavit piis ac prudentibus magistratibus in veros hæreticos animadvertendi potestatem, ne eorum exemplo impii atque imprudentes in pios abuterentur Dei servos. Cum igitur lex ista piorum Dei servorum gratia sit lata, ne aliquando perverso judicio quasi hæretici mortis pœna multarentur: cavendum est, ne talis admittatur interpretatio: vt cum videatur sibi magistratus legi parere, tamen legislator finem cujus gratia legem tulit, non adipiscatur. Atqui si legem ita interpretetur magistratus, vt hæreticis quidem qui suas hæreses sibi habuerint, neque aliis eas persuadere conati fuerint, parcendum putet: sed mortis pœnam se posse arbitretur constituere, si docere alios voluerint: eritne sic consultum piorum virorum

virorum incolumitati? Non vtiq; ejuſmodi enim magiſtratuum edicta, quotieſcunque veritas hæreſeos nomen conſequuta fuerit, Dei ſervos de medio tollent: nam cui patefacta à Deo veritas fuerit, ei acceptum talentum in terra defodere non licet: hoc eſt, non licet eam ſilentio diſſimulare. Sed vult eam Deus coram hominibus agnoſci: vult patefieri. Non poteſt igitur contingere, vt bonum ac fidelem aliquem Dei ſervum magiſtratus pro hæretico habeat: quin idem, quæcunque ſit pœna conſtituta, quæ hæreſis videtur magiſtratui, conaturus ſit quibuſlibet eam perſuadere. Itaque fiet vt cum talium gratia fuerit lex lata, nullis profutura ſit minus, quã illis. Sequitur ergo vt interpretatio illa legiſlatoris menti conſentanea eſſe nullo modo poſſit: quinimmò ei re pugnet maximè. Neq; verò nullum ob id volo pii magiſtratus in Chriſti regno eſſe officium, multa ſunt alia quæ facere & poſſit, & debeat: vt, punire irreverentes in Deum voces: animadvertere in eos qui deſerere vniverſam Chriſtianam religionem, quique authores eſſe cuiquam, vt eam deſereret, auſi fuerint. Si qui inſtituti fuerint externi cultus, aut erecta ſimulachra, ea tollere, avertere à piorum cervicibus impiorum

vim,atque injurias: publicam tueri tranquillitatem: & si quid aliud est ejusmodi. Cæterûm vt se controversiarum jndices constituant eorum,qui se Dei verbi subjiciunt authoritati, ejusq; vtuntur testimoniis: vtq; vi interposita hæc dogmata doceri jubeant,illa vetent,videant etiam atq; etiam quid sibi sumunt, & quantum sibi permittant. Sunt quibus quiescente gladio,protinus de religione omni actum fore videatur: magna verò fiat Domino injuria,si eum dormire suspicemur: neq; sui populi vllam eum curam tangere, vel sine gladio Evangelium eum suum conservare non posse, quasi verbi nulla esset vis: verùm Christianis omnis in ferro posita spes esse videatur. Nam si postquam occupassent omnia satanæ præstigia, ipseq; satanas rerum esset potitus: tamen verbi Dei tanta vis fuit, vt potuerit satanam de fortissimo munitissimoq; suo regno deturbare: itane verò defendendo Christi regno ab hebetatis,confractisq; jam satanæ jaculis nulla vis fuerit,nullum robur? Bono simus animo: non dormit Dominus,sed vigilat. Si in illo nostra posita sit spes omnis,si verbo pugnaverimus: sed ejus afflati spiritu (qui assiduis impetrandus est precibus) diligenter prudenterq, vitatis satanæ dolis iis de

quibus

quibus adhuc diximus: næ, quod ab hæreticis timeamus, nihil fuerit congrediatur caute cum impoſturis veritas ac tandem ſuperior evadat, neceſſe fuerit. Proinde ſi quotidie ſint qui novas moveant quæſtiones, novas ſerant lites, paſtoribus oblatrent, negotium faciant: veniat aliquando illud in mentem cogitare: Quid ſibi vult hic ſatanas? Evangelicam ſcilicet oppugnatum venit veritatem: ſed hoc ne autem ſolum? Quid ſi & hoc quidem agit, & aliud forte quiddam adhuc maius? Vt videlicet nouæ (ac tua quidem opera) fundamenta iaciat tyrannidis, quam aliquando in pios Dei ſeruos exerceat: ipſumq; prorſus deleat Evangelium, factus demum rerum Dominus? Age igitur, quid tu hic qui ſtudium honoris Dei iactas? Qui te Evangelicam veritatem tanti facere prætefers? Qui totus eccleſiæ commodis mancipatus vider vis? Quid (inquam) tu hic facies? Ibis ſcilicet, ac tuas cum ſatana coniunges vires? Tuam ei locabis operam? Inſtrumenta, lapides, cæmenta ſuppeditabis? Communis tibi cum ſatanæ mancipijs erit ſudor? Itane vero, vt vnius momenti declines moleſtias, adiutor iaciendis tanti mali fundamentis fueris? Quid ſi id etiã agit, vt à quibus armis ſibi maxime timet: ea tibi è manibus

bus extorqueat, & ad ea provocet quæ nihil formidat: immo verò quæ plane contemnit? Certè autem ferrum atq; id genus terriculamenra ille ne pili quidem facit: nihil est autem quod timeat magis, cuiq; resistere minus possit, quam Dei verbum. At vero, si semel illud obtinuerint pastores, vt quisquis mutire quid ausus fuerit, protinus sit accersendus carnifex, qui solo gladio omnes soluat nodos: quod deinceps magnum sit divinarum literarum studium? certe non magnopere sibi opus esse intelligant. Poterunt enim quicquid somniauerint misero popello obtrudere & suum nihilominus tueri dignitatis locum. Væ nobis, væ nostris posteris: si hoc quo vno & pugnare nobis licet, & vincere semper possumus, abiecerimus telum, actum sit. At enim (inquies) quoruudam adeo importuna, adeoq; intolerabilis est cum impudentia, tum rixandi libido, vt necesse sit alijs quam solius verbi armis coerceri. Vis dicam quid istud sit? profecto non aliud, quam si dicat miles quispiam, & vero is miles quim militari virtute antecedere sibi omnes videatur, adeo gnaviter, adeo strenue suum pugnare hostem, vt abjicere sibi hastam necesse sit, eique obtemperare. O egregium militem: quid enim aliud faceret

Certe telum vnum vnicumq; confodiendis hæresibus, Dei verbum.

satanas

ſatanas: quam vt egregie perditos ſummitteret homines, qui Dei ſervos irritarent,& improbiſſime quidem irritarent? Ergone, quia illi ſtrenue ſatanæ rem agunt: nos quod maximè volebat ſatanas, fecerimus? Illud, inquam,maximè agit ſatanas,vt nobis hoc verbi telum extorqueat: noſque alio muniti armorum genere quod ipſe contemptui habeat, in certamen deſcendamus. Ergone quia ille maximo id conatu enititur, qua pertinaciſſime pugnat,quia maximè idoneos ſuo conſilio exequendo ſummittit milites, obtemperandum ei eſt: vt abiectis ijs armis quibus vincere ſolis poſſumus, ea arripiamus quibus ſuccumbere protenus nos oporteat, quæque in noſtrum protinus iugulum convertenda ſint? Quin protinus hoc verbi Dei telum mordicus teneamus: hoc vno pugnemus: hoc vno conemur & ſatanam ipſum,& omnes eius emiſſarios iugulare: demus autem operam, vt & feriendi hoc telo, & ictus repellendi commodiſſimas quaſque diſcamus rationes: qua quidem de re ſatis multis ſupra egiſſe videmur.

Sed cum alienum ſit à magiſtratus officio: vt ſe dogmatum iudicem faciat, vimq; adhibeat: tum vero alienum ſit maxime: ſi alieno arbitratu vim adhibuerit. Veluti ſi,

Non ſit magiſter. Miniſter alienæ libidinis, ſeu furoris.

ſi, cum certis hominibus religionis curam permiſerit: in quoſcunque illi ſuaſerint, gladium ſtringere ſit paratus: aut eoſdem ipſos etiam ad id armaverit. Quàm autem probatutus ſit ſuum factum regum regi in die illa, impijs quidem ſummi terroris, at delectis ſummæ iucunditati plena, hinc perpenditur: ſi ipſe rex, cum eſſes peregre profecturus, regni, familiæ, rerumq; tuarum omnium curam commiſiſſes alicuius ſerui fidei: isque in quibus poſitum eſſet regium decus, dignitas fortunæq; omnes, ea alijs deligaſſet ſervis, qualibuſcunq; illis quidem, ſed præſertim eiuſmodi, vt qua eſſent ſapientia fideq; exploratum non haberet: ipſe interim rerum leviſſimarum quarumque curam ſibi delegiſſet: cumq; veniſſent ſumma illa in diſcrimen, ipſe nihilominus in ſuo perſeveraſſet inſtituto, domum vbi rediſſes, atque hæc cognoviſſes, tibi ne probari illius ſervi factum poſſet? Etenim vt ſalva inveniſſes omnia, non eum propemodum eodem haberes loco: ac ſi adverſa omnia contigiſſent? Quid verò ſi indigna, maximeq; indecora aliqua accepta clades fuiſſet? Quo ſupplicio dignum eum ſervum iudicares? At vero Dei eccleſia non ne Dei eſt regnum, patrimonium, deliciæq; omnes? An non in eius doctrinæ

ctrinæ puritate, atque ad eius præscriptum instituto cultu omnis eius decor, dignitasque est posita? Quid habet autem vniversa regni administratio, quod, si hisce cum rebus conferatur, non leviſſimum sit quiddam, nulliusq; precij? Age igitur, qui agnoscere possis rectè de religione sentire quenquam vt tuum ei tuto committas credasq; gladium, nisi ipse ante, quid sentiendum sit, diceris? Sin autem res tantas eorum commiseris, tum fidei, tum iudicio quos non (quod dicitur) intus & in cute noveris: immo vero si qualibuscunque commiseris: ipseq; alias res egeris: qualem administrationis tuæ rationem redditurus es? Præsertim si te dormitante, tantasque res nihil curante, & pia doctrina pro impia oppressa fuerit, & impia pro pia stabilita: propterea q; sequuta sit & multorum piorum cædes, & innumerabilis populi perditio? Quem populum tanti fecerit Dei filius, vt pro eo servando suam non dubitaverit vitam impendere? Quam in te futuram judicij severitatem putas. Equidem ita sentio: Quicquid Dei gloriam vllo modo attingat, siue coercenda sit hæreticorum in spargendis perniciosis erroribus licentia, siue quidvis aliud (quantum videlicet aut postulare, aut permittere muneris tui ratio vide-

videatur) id fine maximo pretermitti cri-
mine non poſſe: veruntamen culpam infi-
nitis maiorem fore partibus, ſi aliena in eo
vti malueris ſcientia, quam vt quid fiat
ipſemet intelligas, ſumma omnia facere,
quod ſi aſſequi non poſſis, multo minus
fore periculi, ſi nullam potius interpoſue-
ris neque per te, neque per alios authori-
tatem tuam. Quo autem illuſtriori moneri
exemplo potuiſſent magiſtratus, ne cuiuſ-
quam fiderent iudicio, quam quod ipſe
Dei filius per huiuſmodi ignaviam iniquiſ-
ſimorum hoſtium ſuorum non tam iudicio,
quam libidini permiſſus fuerit? *Accipite*
(inquit Pilatus) *eum vos, atq; vt veſtra le-*
ge cautum eſt, ita eum iudicate. Caue au-
tem ita cogites: Nunc in clariſſima Evan-
gelij verſamur luce: nunc ſanctiſſimi ſunt
paſtores: nunc in tuto ſunt omnia. Quid?
An etiam ſatanam ſtertere arbitremur?
Non enim quicquam noſtri? Vt novi alii
cuius regni fundamenta iaciat? Vt novas
erigat tyrannides? Nova pariat monſtra?
Notum eſt autem illud: parvus error in
principio, fit maximus in fine. Cumq; maxi-
mi hæc omnia ſint momenti, quicquid oc-
currat, magiſtratum equidem hortaret: v
ab eo ardentiſſimis precibus peteret conſi
lium, qui fallere poſſit nunquam: nihil au
ten

tem constituetet neque in illam: nisi exploratum haberet se recte facere. Quod si tandem in ea consistat sententia, vt putet se edictis præscribere posse quæ dogmata docenda sint, quæue non sint: saltem cavendum est etiam atque etiam:ne hic quicquam lucretur satanas: dum autem nimis procul ab hæretici sententia magistratus suam ponit, inciditq; in Scyllam, cupiens vitare Charybdim:aut quid ei permittit quod non oportuit: aut verbis loquendive formis vtitur, quæ, cum nihil minus velit, tamen novum aliquod invehant dogma:aut quod ex divinis literis quasi necessaria consequutione colligerit, forte non satis recte, pro sententia, à qua dissentire non liceat, esse velit. Quo minus autem eiusmodi errorē incurrat vllum, exploret quam compertum quidq;habeat ijs rationibus quæ supra sunt à nobis expositæ. Ac ptæterea optima nobis illa cautio videtur, vt quicquid ponatur tanquam cum divinis literis consentiens, eisdem etiam verbis ac loquendi formis quibus Dei spiritus ijs in literis est vsus, exprimatur. Alioqui fieri vix possit, quin aliquid de suo humanum intrudat ingenium: quod si accidat, propemodum immedicabilis sit error: cavendum est etiam, ne aliud narre-

tur

tur hæreticus tenere, prohibeaturq; docere, quam quod tenet, docetq; ad ea vitanda incommoda quæ ſupra commemorata à nobis ſint.

Illud profecto, quin omni prorſus careat ratione, aſſequi nunquam potui: quod qui falſum quid, impiumq; docuiſſe videatur, vt palinodiam canat adigendum putent, propoſita (ſi faciat) impunitate. Quorſum id quæſo? Quæ vtilitas fuerit: ſi declinandi ſupplicij cauſa reluctante conſcientia, ſuam hæreticus retractaverit ſententiam? Illud vnum prætexi poteſt: quod qui eodem tenentur errore, ac forte latent, eius exemplo idem facturi cum animis ſuis videantur: erroremq; abiecturi, quin etiam alius alij vt idem faciant, authores futuri. Leviſſimè vero impreſſam eam perſuaſionem eſſe oporteat, quæ tam facile evelli poſſit. Quid? nulla ne ſubeat ſuſpicio, vitandi ſupplicij cauſa non ex animo factam retractationem? Non hinc potius ad invidiam acceſſerit plurimum, ſi videatur magiſtratus non corpus tantum occidere, ſed etiam in animi machinari perniciem? Itane autem inermes ad debellandos errores ſimus, vt ponendum nobis ſit in mendacio, in fictis præ metu retractationibus præſidium? Sed dicat aliquis: Minimè vero

rò hoc agimus, vt qualemcunque extorquamus palinodian: sed vt hæreticus errorem non tam ore quam etiam corde agnoscat: Præclarè id quidem: si modo impetrare possis. Verum quid sibi volunt hîc siue minæ, siue blandimenta? Nam hæc quidem ad voluntatem expugnandam valere aliquid possint. Sed cum intellectu res est: ille neque minis, neque blandimentis mutatur. Efficere hæc non possunt, vt quod verum ante videbatur, postea videatur falsum, ne si mutare quidem sententiam vehementer cupiat. Quod si tuis fortè auribus novum mirumque sit: haud multis tecum egero argumentis. Tu censes videlicet hominem, quum vult, nulla noua oblata ratione, quæ ei aliter rem se habere, atque persuasus fuerat, videri faciat, sententiam mutare posse: ego nego. Experire igitur ipse tecum, possis necne in hoc ipso ad minimum tempus abs tua abduci sententia: vt mecum credas non posse hominem, quum vult, sententiam mutare: absque dubio enim intelliges te id facere non posse. Verum cave imaginationem pro persuasione hîc accipias, nam quominus imaginatione fingas quicquid volueris, nihil impedit. Illud etiam quæso expendet, si quid fortè vereare: veluti ne parum bene cadat

quid, ne contingat quod minime velles: protereaque id te vehementer ſollicitum habeat, vt ne capere qnidem ſomnum poſſis: mutato tibi in eo opinionem, vt bene ſperes, ac ſic ſublata ægritudo fuerit. O facile promptumque ad levandam homini ægritudinum partem maximam in vita, remedium: ô breuem etiam philoſophiam: ſi quicquid timuerit homo eventurum mali, credere poſſit (ſi modo velit) non eventurum: quicquid eum male habeat, propterea quod videatur malum (cum perſæpe ne inſit quidem re vera mali quicquam) perſuadere ſibi poſſit, quum vult, non eſſe malum. Verum experientia horum quicquam fieri negat poſſe. Quod ſi non poteſt, hæreticus ne, ſi velit quidem errorem, niſi cogat ratio, abijcere: quid eſtis miſero vt mentiatur, Deumq; in eo magis ac magis offendat; moleſti? Negari profectò non poteſt, quin ſatanæ hoc fuerit inventum, quo ſupplicijorum metu Dei ſervos renunciare Chriſto cogeret. Vt mirer, non id vidiſſe quoſdam alioqui minimè ineptos. Quam præſtaret autem, ſi exploratum ſit, alioqui morte plectendum eſſe quempiam religionis cauſa, ſiue recantaret, ſiue minus, lege agere: neque eum vel vno verbulo ad recantandum invitare, niſi vt lucri fieret.

Quod

Quod tamen ipsum non minis, aut blandimentis, aut vlla spe proposita: sed testimoniorum demonstrationumq; efficacia faciendum esset.

Sed in eo maximè necessaria est magistratus authoritas, ne immodestiam, maledicendique libidinem in quoquam, quisquis ille sit, impunitam sinat. Si probrum audire aliquis debeat, audiat vbi respondere liceat, & iudicio defendere. Cæterum tuta sit à cuiusuis tum lingua, tum stylo alterius vita, nomenque. Si controversiæ de religione sint, testimonijs argumentisque certetur vtrinque sed quicquid ad se mutuo lacessendum pertinet, videant etiam atque etiam magistratus, vt ab eo constitutæ pœnæ metu abstineant. Id si fecerint, & vehememter tranquillam reddiderint ecclesiam, & ampliſſimam apud cordatos omnes laudem consequentur. Atque hactenus quidem de ea sententiæ mutatione, quæ in religionis doctrina fieri animadvertitur, dictum sit. Qua in mutatione, qui errores sunt amplexi animaduertunt illi quidem se sententiam mutasse: verum meliorem in partem eam se mutasse arbitrantur: tantum adversarij deteriorem in partem fuisse factam intelligunt. Nunc quo pacto fiat, vt adulteretur doctrina, no-

bis non animadvertentibus: & qua ratione id ne fiat, cavendum sit, dicemus.

SATANÆ STRATAGEMATVM

LIBER QVARTVS.

QVod cum depravetur doctrina, mutatio tamen fieri videatur: nulla, plures sunt causæ: quarum alias ipsa in doctrina intelligas: alias in mutationis quæ fit modo. Nonnullę eos respiciunt qui docent nonnullæ eos qui docentur. In doctrina hæc mihi videntur esse: primum, quod sit quasi plurimorum dissimiliumq; granorum accervus quidam vt mutatio per partes easque minutissimas fieri possit. Quemadmodum enim, si ex magno aceruo quopiam aliquot quotidie grana auferas, alijs eorum loco restitutis: manere acervus idem videatur, cum tamen paulatim mutetur, incipiatq; esse alius ita, cum religionis doctrina ex plurimis constet dissimilimis sententiis, quanquam consentaneis, eodemq; tendentibus: modo hac, modo illa depravata, commutataq; ipsum doctrinæ

(vt

(vt ita dicam) corpus, eandem illud quidem retinere videatur ſpeciem: ſed tamen omnino idem non manſerit, partim enim factum fuerit aliud. Immo vero vna ſola ſententia tanti eſſe poſſit, vt ea depravata ac mutata, tametſi haud ita videatur, tamen cum eius ſententiæ depravatione doctrinæ omnis fit coniuncta depravatio. Quia videlicet abſque illa ſententia, reliquæ doctrinæ omnis nullus ſit fructus, nullum precium. Atque eiuſmodi quidem illa eſt ſententia, quod *ſolo Chriſti ſanguine pro nobis fuſo, eiusq; ſacrificio pro ſalute noſtra in cruce oblato, noſtra omnia expiata fuerint crimina.* Quã ſententiam ſi ita commutaueris, vt dicas: crimina noſtra elui noſtrorum bonorum operum meritis, aut vllis ſanctorum ſuffragijs, ex Chriſtiana doctrina prorſus Antichriſtianam feceris. Neque vero propterea quod ex multis diſſimilibuſq; ſententijs conſtet doctrina, occultæ mutationi obnoxia eſt, quatenus ſolum ita depravari, commutariq; ſententiæ ipſæ poſſint, ſed etiam quatenus poſſunt aliæ addi, aliæ ſubtrahi. Non dico autem, huiuſmodi depravationem ita fieri occultè poſſe, vt etiam ſacri corrumpantur libri. Id enim ſi fieret, latere dolus non poſſet: verum ita, vt tũ in ſermonibus tum in ſcriptioni-

tionibus falsæ vsurpentur sententiæ pro veris & pro sinceris depravatæ. Quo porro maior acervus fuerit, eo etiam minus promptum sit, si mutatio contingat, eam animadvertere. Quapropter plurimum ad eam occultationem facit doctrinæ amplificatio: atque amplificatur quidem, dum variè tractatur, dum multis ac varijs extenditur quæstionibus quæ pullulant aliæ ex alijs, propaganturque in infinitum. Cuius mali causa est nimia hominum curiositas, temeritas, arrogantia & ambitio, quibus morbis dementati quicquid somniamus literis mandare volumus. Immo vero si desit quod scribamus, aliena reteximus, ac de novo conteximus: malumusq; actum agere, quam videri nihil agere. Sed illud ad tegendam depravationem plurimum adiuvat: si, quæ pro sinceris sententijs falsæ reponuntur, cum re sint multo aliæ, in speciem tamen eædem videantur. Quod pluribus potest rationibus accedere. Ac prima quidem est, quum vera quæpiam sententia in divinis literis verbis fuerit comprehensa, quæ plures admittant interpretationes, minimè tamen veras omnes: aliaque conflata fuerit quæ verbis illis perperam acceptis sit consentanea: ita enim cum multo aliud dicatur: idem tamen dici videatur,

Causæ mutationis illius partim in doctrina ipsa, partim in mutationis modo quæ paulatim sensumq; fit sine sensu.

videatur, neque mutatio vlla fieri. Huc autem pertinent, si figuratus sit sermo: vt aliud dicatur, aliud dici videatur, accipiatur autem quod dici videtur: atque id quidem fieret, si, cum scriptum sit, *Si oculus tuus offendiculo tibi fuerit, erue eum, & abijcere*, ita dicatur, si homini peccandi occasio sit videndi sensus, eruat sibi oculos, fiatq; omnino cæcus, atque ita peccandi ab se occasionem amoueat. Videntur enim verba illa hanc exprimere sententiam, cum tamen multo sit diversa: illud enim volunt. Quicquid sit quod in Evangelij via tuos vel retardet, vel impediat progressus: amoue id abs te quamprimum. præstat enim eo carere, quam ab eiusmodi cursu avocatum regni cœlorum iacturam facere, atq; sempiternis addici cruciatibus. Eodem pertinet: si, cum eadem sit sententia quam verba exprimunt: perinde tamen exponantur, atque si aliud vellent. Quod sit de verbis illis: *Ito, ac te ostendito sacerdoti:* ex quibus illa sumpta est sententia, qua jubetur quilibet sacerdoti sua enarrare delicta. Altera est ratio, quum in vera sententia aliquid intelligitur (sive exprimatur, sive minus) ac falsa ita exprimitur, vt ei locus non relinquatur. Estque aut exceptio, aut conditio, aut circumstantia, aut

explanatio quælibet: aut additur aliquid, aut ponitur siue conditio, siue expositio quæ non conuenit. Conditionem aut exceptionem omnino habent Apostoli verba illa: *Ne erretis, neque scortatores, neque idolorum cultores, &c. Regnum Cœlorum adipiscentur*, intelligenda est enim conditio, nisi resipuerint. Quod si quis ita diceret, impudicitiæ crimen nunquam condonatur, verbis quidem illis consentanea poneret, verum sententia esset multo alia. Ita expositione opus habent Salomonis verba illa. *Eadem est hominum & brutorum conditio*, vt hæc moriuntur, ita & illi: perinde vtraque respirant, neque quicquam præstat homo brutis. Estque expositio quam intelligi oportet quad quantum assequi humano iudicio licet, ita sit, non autem omnino. Qua excluſa expositione, si quis Salomonis verba vsurpet, religionem omnem ipsis à fundamentis eversurus sit. Veræ sentiæ illi addunt, qui pronunciant eos vitam æternam consequuturos: qui credent condonata sibi peccata propter Christum, si modo peccata sua singillatim sacerdoti recensuerint, absolutionemque ab eo obtinuerint. Mutat aliquid ex vera sententia, quidicit sanctam esse legem propterea quod eius cognitio sanctum homi

hominem efficiat. Non enim ideo ſancta eſt, ſed propterea quòd hominem de ſuis viribus deſperare faciat, & ad Chriſtum vnicam ſalutis ſpem perducat, quodque inſuper quæ placeant Deo, quæue diſpliceant, monſtret: quo eum non noſtris inventis inſtitutiſq;, ſed ad ejus præſcriptum colamus. Alia deniq; ratio eſt, quum ex vera quapiam ſententia perperam falſa elicitur, deinde autem ejus ſententiæ loco vnde fuit ducta, conſecutione vtuntur. Ita cum Romanus pontifex illis ex verbis: *Quicquid in terra ligaveris, & in cœlo ligatum erit, & quicquid in terra ſolveris, ſolutum & in cœlo erit*: hanc coegerit ſententiam, qua ponit ſe poſſe novas leges condere, novaque conſtituere doctrinæ capita (fidei articulos vocant) homineſq; tum ad illas ſervandas, tum ad hæc credenda adigere: conſecutionem eam, tanquam ſententiam divinitùs traditam vſurpat. Sed falſarum conſequutionum quoddam eſt genus mirè occultum, quippe quæ partim ex ſumptionibus ducantur, quæ neque exprimuntur, neque fortè cogitatione, comprehenduntur: ſed vt ſi ex maximè certis conſpicuiſque emanarent, ita citra vllam admittuntur controverſiam. Quod accidit de ea quæ modò commemorata eſt conſequutione

quutione. Vt enim efficiatur Petro legescondendi permissam fuisse potestatem, oportet ligandi verbo idem significari, quod leges condendi. Sic enim rectè colligas: ligare est leges condere: Petro ligandi permissa est potestas: igitur & leges condendi. Atque eodem etiam modo colligere liceat: solvere, est leges abrogare: Petro autem tributa est solvendi potestas, igitur & leges abrogandi. Cumq; dictum sit, Quicquid ligaveris: & quicquid solveris: consequens erit vt licuerit Petro quascunque leges tum condere tum abrogare, vel si Decalogum abrogare in animum induxisset. Deinde vt id juris ad Romanum pertinere pontificem efficiatur, illud sumendum erat: Quodcunque jus Petro tributum est, idem Romano pontifici tributum est: cum igitur Petro quascunque leges & condendi & abrogandi jus tributum sit, idem Romano pontifici est tributum. Atqui hæc conclusio collecta est, mentione nulla facta sumptionum illarum, quòd ligare ac solvere, sit leges tum condere tum abrogare, & quòd quicquid juris Petro tributum est, idem ad Romanum pontificem pertineat. Neq; sanè sit cujusvis, quid consequutionibus cogendis prætermittatur, silentioq; tanquam exploratum aliquid involvatur, cum tamen minimè

minimè verum sit, animadvertere. Obscuritate etiam verarum sententiarum contingere, vt si qua fiat mutatio, ea deprehendi facilè non possit: intelligere quivis sua sponte possit. Contingitque Christianæ doctrinæ obscuritas primùm ex eo, quòd quæ spiritus sunt tractet: propterea q; sine spiritu intelligi non possint. Cujus si sit inopia, etiam si magna fiat doctrinæ depravatio, haud tamen agnoscatur. Accedit deinde alia obscuritatis causa: quòd, cum aliis linguis fuerit tradita, aliis in quas magna ex parte parum commodè sit translata, addiscere eam nobis opus sit: ac tametsi ad eas linguas discendum se cõtulerit quis. Hebraicam dico, & Græcam, cum tamen eæ amplius in vllius populi vsu non vivant sed in solis jaceant literis, aclibris, nunquã eas tam plenè assequatur, quin eum propria multorum vocabulorum, locutionumque vis, multiplexq; vsus lateat: quæ tamen obscuritas tanta non est, quin si aliquid adsit spiritus, ea saltem quæ ad salutem cognitu necessaria sunt, intelligi facilè possint. Ac de causis quæ in doctrina intelliguntur cum dictum sit, de modo quo fit mutatio, dicendum est.

Causæ mutationis illius partim in doctrina ipsa, partim in mutationis modo quæ paulatim, sensimq; fit sine sensu.

Quo minus igitur conspicua sit; quæ fit mutatio, illam habet modus occultationis causam

causam, quòd mutatio paulatim fiat. Etenim si, quòd modò dicebamus, ex magno quopiam granorum aceruo aliquot quotidie grana auferrentur, aliaque totidem eorum in locum substituerentur, atque in acervo confunderentur, quis posset commutationem eam agnoscere? Quis etiam notaverit, quantum quotidie accedat ad proceritatem puero cuipiam? Aut quantum quotidie senescat homo? At idem omnino in doctrinæ mutatione accidit. Siquidem hic hodie, si non aliud, generale aliquod excogitabit nomen, cui res aliquot, quarum communis sit vel natura, vel ratio subjiciat, postea idem nomen ad res transferetur admodum dissimiles: itaq; fiet, vt priorum illarum obscuretur notio, ratioque: quod fecerunt, qui sacram ablutionem, ac Domini cœnam, Sacramenta cœcœperunt appellare. Quid enim hîc mali vel suspicari aliquis potuisset? Sed post aliquod tempus fuerunt, qui, cum quemlibet sacrum sanctumve ritum Sacramenti nomine putarent appellari, cœperunt vocabulum illud etiam ad manuum impositionẽ, ad matrimonium, pœnitentiam, confirmationem, & extremam vnctionem transferre quo factum est: vt cum ablutio ac cœna commune cum rebus admodum diversis

adeptæ

adeptæ nomen essent, earum obscurata sit ratio. Mansit enim cum generali nomine generalis etiam & communis cum iis rebus notio: quæ propria erat, quemque nunquam non versari ante oculos oportebat, ea in oblivionem venit. Inde etiam factum est, vt, quam constabat obliuionem, ac cœnam à Domino fuisse institutas, tam crederentur vulgo ab eodem instituta fuisse omnia quæ dicerentur sacramenta. Tandem cœptæ sunt ablui etiam campanæ: (quas vocant) quod quid aliud fuit, quam occasionem præbere imperitæ plebi cogitandi, tantundem esse in hominis ablutione, quantum in campanæ intelligerent: atque ita ablutionis peccatorum memoria, quam ablutionem Christi sanguine factam fuisse, ea quæ aqua fit, significat, tolleretur? Illud autem multum adfert ad tegendum dolum, si coloratus adsit prætextus: vt non innovare aliquid, sed accepta instituta infirmiore observatione custodire velle videantur. Quare cum primi Christiani, aut potius qui primis successerunt, de pristino pietatis ardore non parum remisissent (quod ferè fit, cessante afflictionum exercitio) ideoque non iam adeo frequentes in panis fractione essent: fuit fortè qui consultum putaverit, si saltem sacerdos

sæpius

ſæpius multis aſtantibus eum panem ac vinum ipſe ſumeret, atque ita mortis Domini memoriam celebraret: idem enim propemodum futurum, ac ſi aſtantes omnes participaſſent. In quo ſanè innovatio eſſe nulla videri poterat: quin potius aliud videbatur nihil, quàm ne maximè ſalutare Domini inſtitutum deſuetudine obſoleſceret, proſpicere. Quod cum in conſuetudinem abiiſſet, propterea quod id totum in ejus ſacrificii commemorationem fieret, quod pro nobis Dominus in cruce obtuliſſet, nec deeſſet jam ſacerdotis nomen: occaſionem id alicui præbuit rei ſignificatæ nomen ad ſignificantem transferendi: vt eam actionem non iam ſacrificii commemorationem, ſed ſacrificium appellaret. Poſtmodùm vt ſacrificii nomen res obtinuerit, ita pro ſacrificio haberi cœptam, quis miretur? Ita cum quotidie innovatum aliquid ſit, quia tamen minima erat quæ quoque tempore fiebat mutatio, neque vnquam ſpecioſiſſimus aliquis fucus deerat, animadverti non poterat; vt tandem ſimpliciſſimum Domini inſtitutum fractionis panis in auguſtiſſimum operoſiſſimumque illud Miſſæ opus mira quadam metamorphoſi converſum ſit. Idem de rebus aliis omnibus accidiſſe, quiſquis attentius inſpexerit

ſpexerit, facilè inveniat. In iis qui docent, ſi quid depravent, quominus id appareat, illud præcipuè facit, ſi in magna ſint pietatis, ſanctitatis eruditioniſque opinione, & ſi credantur erga receptam doctrinam optimè affecti. Eiuſmodi autem opinionem quilibet aſſequitur, aut dato ſui egregio aliquo ſpecimine, aut teſtimonio quopiam eorum qui ſint ipſi optima in opinione, aut quaſi hæreditario quodam jure. Bonũ ſui ſpecimen dat, qui acutè copioſeque divinis de rebus diſſerit, multiſq; citandis è ſacris literis teſtimoniis, neq; ineptè, multum in ſtudiis ejuſmodi verſatus videtur: ſed præcipuè, ſi iis oppugnandis dogmatibus à quibus abhorret populus, acrem ſæpe ſe præſtiterit: & ſi quos populus plurimi facit, eos ipſe etiam ſe vehementer ſuſpicere colereque præſeferat. Opinionem autem afferunt probatorum hominum teſtimonia: quòd credantur propter eorum gravitatem prudentiamq; non niſi de iis quæ explorata habuerint, teſtaturi fuiſſe: cum tamen perſæpe multis ſimulationibus, aſſentationibus, aliiſque artibus nimia expugnatur bonorum virorum facilitas, vt ad eos commendandos, quorum pietatem, eruditionemq; parum cognitam habent, adducantur. Sed tamen quomodocunq; excidant

Aliquando in iis qui docent, ob magnam eruditionis & ſanctitatis famam.

cidant quibuſdam teſtimonia: non aliter tamen fidem adhibet ſimplex vulgus, quam ex tripode editis. Quaſi hæreditario quodam iure opinionem adipiſcuntur quidem ideo, quod eorum in locum ſuccedant quorum admodum probata cnm vita tum doctrina fuerit. Veriſimile eſt enim, bonorum in locum non niſi bonos ſuffectos fuiſſe, itaq; tranſfertur probitatis eruditioniſque opinio ab vno in alios: non ſecus atqne à patribus in filios hæreditates. Verum enimuero quemadmodum qui ab humili tenuiq; fortuna magnis laboribus ac moleſtijs, pariq; induſtria amplas ſibi fortunas pepererunt, filios relinquunt partorum quidem bonorum omnium, ſed non ſuæ induſtriæ ingenijq; hæredes: quippe qui inter opes nati exercendi ingenij neceſſitatem nullam ſint experti: ita qui divina providentia ad perpurgantum ab erroribus eccleſiam nonnunquam excitantur, cum neceſſe ſit eos magis arduiſq; difficultatibus exerceri; neceſſe eſt etiam eos præſtantiſſimis communiri virtutibus, indeq; illuſtres admodum fieri: qui poſtea ſecedunt rebus iam compoſitis, quo tempore ſatanas non vi amplius, ſed dolis, quos illi minimè animadverterunt, bellum gerat, nulla præclara habent prudentiæ pietatiſq; exercitia.

Sed

Sed tametsi virtute multò impares, tamen externa quadam specie majorum suorum vt locum obtinent, ita dignitatem, opinionemque sustinent: quoque longius à primis illis recesseris, ferè eò etiam minus similes illis successores videas. Cumque eadem, aut etiam major maneat autoritas, minimum autem sit pietatis, prudentiæ, eruditionis, cordataque diligentiæ: quis non intelligat facillimè fieri posse, vt & depravent per insciti am indies multa: & tamen propter authoritatem nemo animadvertat? Quo autem ejusmodi sufficiantur pedetentim pastores, vt ab iis majorem satanas doctrinæ corruptionem celerioremque sperare possit, maximo illi adjumento est, si cum Ecclesiasticis muneribus ea fuerint conjuncta, propter quæ admodum reddantur optanda: vt si pastores plurimi fiant, iis omnes assurgant, loco cedant: si commode vivant in magna aliqua opum affluentia: si eorum esse videatur omnium censuram agere: eos autem attingere nefas existimetur. Quis enim tali esse in statu non maximè cupiat? Quare si hujusmodi adsint illecebræ, locus aliquis, vbi vacaverit: cave putes fore vt eum optimus quisque obtineat, multò facilius qui ambiendi artibus omnes vin-

cat. Vir bonus ac pius, vel si videatur sibi alioqui honestè ambiturus totus ad Dei gloriam, non ad suam dignitatem aut commoda intentus: ideo tamen non ambiat, quòd in quibus vera insit pietas, cum ii præter cæteros imbecillitatis suæ, quæ nunquam non magna est, sibi sint conscii, de se modestè sentiunt, ac propemodum neminem non sibi præferunt. Quòd si tam bona adhuc sint tempora, vt munera non ad petitores, sed ad delectos deferantur: ne tum quidem meliorum melior semper fuerit conditio. Etenim homines simplices omnis doli, omniumq; malarum artium hostes cùm magis dandam sibi operam putent, vt sint boni, quàm vt videantur, in adipiscenda sanctitatis opinione ab artificiosis hominibus honorum avidis facillimè vincentur. Suas enim labeculas minus studiosè tegent: magis laborabunt, vt deponant sua vitia, quàm ne appareant, nullis artibus hominum aucupantur studia. Qui ad honores animum adjecerit, sua omnia vitia teget studiosissimè: quæ maximè probari ab iis intellexerit qui se promovere possint, ad ea quam studiosissimè componet sese; nihilque simulando, dissimulando atque assentando sibi reliqui faciet, dum se illis probet ad amussim: atque hoc tecto, multoque

toq; majoris tum artificii, tanoperis ambiendi genere non minus vincunt nonnunquam improbi, quàm si aperto illo vti liceret.

Supereſt vt de iis dicamus cauſis, quæ cum animadvertere, quòd mutatio in doctrina fiat, non ſinant, in iis qui docentur ſunt poſitæ. Sunt autem potiſſimum duæ: incuria, & ignorantia. Incuria magna ex parte ex eo obrepit, quòd populus ſuis nimium fidat paſtoribus: perſuaſumq; habeat, eos nullum eſſe in errorem lapſuros, ac propterea nulla magna animadverſione opus eſſe: quinimmo quod ipſi dederint accipere oportere, neq; curioſius examinare. Accedunt ad id occupationes aliæ quibus homines dant ſeſe. Latiſſimè enim patet illud, *Vbi theſaurus, ibi cor*: & illud, *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire.* Quî fiat autem, vt poſtquam ſemel fuerit in populo magna divinarum rerum cognitio, ea quaſi evaneſcat: præter eam cauſam quæ modò dicta eſt, alias etiam nonnullas alibi enarrabimus. Illam vnam nunc quidem addemus: quòd populus ipſe in continua quadam mutatione ſit aliis indies decedentibus, aliis ſubnaſcentibus atq; ſuccreſcentibus. Quo fit etiam, vt cum minima ſit quæ cujuſque ſit ætate mutatio, aut ob-

Aliq. eorum qui docentur incuria ſive inſcitia.

Mat. 6.

ſervare eum non poſſit : aut ſi inſpiciat, tã-
ti eam non faciat, vt propterea vllam putet
movendam litem : ſed quominus populus
mutationem vllam fieri animadvertat, ma-
ximo & illud eſt impedimento : ſi perſua-
ſum habeant homines de iis quæ religio-
nem attingunt, judicare ſe non poſſe: quaſi
non idem ſignificent in divinis literis, Eſt &
Non, aliaque verba quod in communi lo-
quendi conſuetudine, aut ſine magna tum
linguarum, tum rerum aliarum peritia in-
telligi nihil poſſit: quaſiq; ſpiritus abſque
hiſce adjumentis nulla ſit vis. Quo fit, vt
cum ne ea quidem intelligere ſe putent,
quæ tamen intelligunt quodammodo,
quæ videlicet verbis expreſſa ſunt maxi-
mè perſpicuis: tandem eò ſtupiditatis ve-
niant, vt re vera non intelligant; adeò, vt
quanquam ante oculos ſententiam habe-
ant divinitùs traditam adeò perſpicuam,
vt clarius fieri poſſit nihil : tamen, ſi ii quo-
rum omnia tribuunt authoritati, planè
contrarium aliquid dixerint, fidem illis ad-
hibituri ſint, ac ſe, quod apertiſſimè vident,
non videri opinaturi. Atque hiſce quidem
rationibus accidit, vt cum doctrinæ fiat
deteriorem in partem mutatio, non anim-
advertatur. Quum porrò corrumpendæ
doctrinæ factum initium fuerit, conti-
nuò

nuò neceſſe eſt ex erroribus errores naſci, atque in infinitum propagari: tantamque paulatim ſibi accerſunt homines caliginem Deo juſtiſſimis eos de cauſis obcæcante, tamq; fœdos delabuntur in errores: vt ſi cujus miſertus Deus ei oculos aperiat, vt quibus verſatus ſit in tenebris videat, vix poſſit ſibi ipſe credere, ac ſe tam cæcis involutum aliquando fuiſſe erroribus perſuadere. Quòd ſi ineptis tantum quibuſdam de plebe homunculis accideret: multò eſſet miraculum mirandum minus. Sed peræquè accidit hominibus maxima eruditione, maximoq; rerum vſu præditis, ſi Scholaſticorum (quos vocant) Doctorum quorundam perlegeris ſcripta, tantum alicubi invenias acuminis, vt mirêre. Quid? Findere eos ſæpe videas tenuiſſimum filum multas in partes, ac pulicis anatomen conficere: mox autem adeò turpiter labi, tamque abſurda ponere: vt ſtupere ſatis nequeas. Proinde obtemperandum eſt poetæ conſilio illi:

Principijs obſta: ſero medicina paratur.

Eſt autem duplici opus cautione: videlicet ne fiat in doctrina, quum pura eſt, mutatio, & ſi qua facta fuerit, vt animadvertatur. Quæ fit autẽ mutatio ejuſmodi, quorũ eſt populum docere, ii omnem propemo-

dum culpam ſuſtinent: nam ſi ejus ipſi ſunt authores, at certè ipſis fit dormitantibus. Oportet igitur paſtores doctoreſque lynceis eſſe oculis: cauſaſque eas, quibus fit quo minus notentur mutationes, in promptu numeratoq; habere: ac ſedulò videre, ne quo impingant, Optima vero cautio puræ doctrinæ conſervandæ fuerit, ſi curioſas omnes, inaneſq; vitaverint controverſias: ſi doctrinæ omnis ſcopum, prætereaq; ſeriem rerum omnium quæ eôdem tendunt (qua de re dictum à nobis eſt ſuprà) nunquam non ante oculos habuerint: ſi modò res ipſas, verùm etiam verba ac loquendi formas quibus Spiritus ſanctus eſt vſus, amaverint, alias vehementer ſuſpectas habuerint. Non quòd velim eos nihil præter Ebraiſmos ſonare: neq; enim plana perſpicuaq; eorum eſſe poſſet oratio: ſed eas loquutiones vitari velim omnes, quæ præter neceſſitatem Græca aut Ebraica exprimendi à nimium argutis diſputatoribus excogitari ſolent, eaſq; ſententias quas homines ſuo ingenio ex divinis colligunt teſtimoniis. Quod quantum referat, hujuſmodi exemplo conjectare liceat. Pontificii nihil intereſſe putant, ſive dicant, eccleſiam errare non poſſe, ſive afferant Domini verba illa, *Vbicunq; erunt duo*

Cautiones ad puritatẽ doctrinæ cõſervandum.

Ipſis ſcripturæ verbis phraſibuſq; anxie inhærendum.

duo aut tres congregati in nomine meo, in medio illorum ſum. Atqui quantum interſit, ex eo palam eſſe poteſt: quòd ſi quis intelligat eccleſiam eſſe Papam, Cardinales, & à Papa vnctos Epiſcopos: audita priore illa ſententia. Quicquid illi decreverint, ratũ firmumq; eſſe oportere, opinetur. Quòd ſi ipſa Domini verba potius animo intueatur: veniatq, in mentem, id genus homines nihil præter ſua commoda, opes, potentiam curare: tantum abeſt, vt idem ſit intellecturus, vt fortè cum eorum actiones, factaque probare nequeat, in ſpem venturus ſit ex iis verbis, ſe cum aliquot bonis viris Deum ex animo amantibus, ſi convenerint, vnaq; divinam opem imploraverint, de eo quod credendum faciendumque ſit, ſalutis adipiſcendæ cauſa, melius conſtituere poſſe, quàm ſi perſtiterint talibus confidere paſtoribus. Atque id quidem vt verba vſurpent potius quæ divinis literis ſunt comprehenſa, quam vlla alia: tum præcipuè faciendum eſt, quum enunciatur quid vt certum exploratumque: aut quaſi fidei vitæve regula: aut ex quo conficiendum aliquid ſit aliud. Nam in expoſitionibus vt majore fortè aliquo opus fuerit licentia, ita minus eſt etiam periculi. Vbi enim ſimul veluti in conſpectu ſunt & Dei

verbum,& expoſitio: ibi latere non poteſt, expoſitionem hominis eſſe verbum,vt eam rejicere niſi idonea videatur,liceat. Quaq; ratione rectè caverit quis,ne fiat mutatio: eadem explorare poſſit, facta necne ſit vlla. Conferre autem debet quiſq; ætatis ſuæ doctrinam non cum alia quàm quæ extra omnem controverſiam abſque vlla fuerit macula: hoc eſt, cum Apoſtolorum doctrina. Quare & ſi ætate noſtra quaſi revixit Evangelium: non tamen ita cogitet quis, explorandum ſibi eſſe, deceſſerit, necne quid de ea puritate quam Evangelium aſſequutum hoc tempore fuerat: quinimmo videndum potius eſt etiam atque etiam, reliquane ſit labes vlla: aut, ſitne parte aliqua ad priſtinam ſuam puritatem priſtinumq; candorem non ſatis plenè reſtitutum: certoq; ſibi perſuadeas, vix te vnquam ſatis ſuperſtitioſe (vt ita dicam) verbum omne quod in divinis non ſit literis rejecturum. Nuſquam enim non vult homo Spiritu ſancto eſſe cautior ſapientiorq;, vix poteſt non de ſuo aliquid immiſcere. Itaque nunquam ſatis poteſt, quicquid ab homine eſt, ſuſpectum eſſe. Ac quoniam quo plures quæque res cuſtodes habet,eò ſervatur melius: monendus crebrò eſt populus, non ad ſolos eccleſiæ paſtores pertine-

pertinere tum divinorum librorum lectionem, tum religionis curam. Sed quisquis se salvum cupit, eum etiam exploratorem esse debere, num quæ inferatur, aut illata labes sit: non secus ac si persuasus esset alios dormitare omnes ac quicquid abducere ab eiusmodi studijs plebem solet, danda est opera vt id omnino amoveatur. Qua de re paulo inferius commodior fuerit dicendi locus.

Quandoquidem autem haud magni sit fructus, si privatus quispiam homo animadverterit erroris aliquid invectum, nisi id aperiat, palamq; faciat: rationem certè esse oportet aliquam, qua commode id fiat. Atque aptior quidem ea fieri possit nulla, quam Corinthijs proponit Apostolus. *Prophetæ* (inquit) *duo aut tres loquantur, & cæteri dijudicent*, quod si alij patefactũ quid fuerit assidẽti: prior taceat. Potestis enim singillatim prophetare omnes, vt omnes discant, & omnes exhortentur. Si vnus quispiã perpetuo verba faciat in ecclesia, neq; ei quispiam contradicat vnquam: vehemẽter mirum fuerit, ni vnus ille inflatur, ni in eam de se persuasionem delabitur, vt ipse sibi vnus esse omnia videatur, solus mentẽ habere, solus sapere: cæteros esse quasi bruta 1 Cor. 14.

ta animalia quæ à se pendere oporteat, vt discant tantũ. Quod si quis docere etiam se posse quid speraverit, piaculum videri de-
Ibid. beat. Sed quid ad hæc Apostolus? *An a vobis sermo Dei profectus est? An in vos solos incidit? Si quis videtur propheta esse aut spiritualis: agnoscat quæ scribo vobis, quod Domini sint præcepta. Cæterum si quis ignorat, ignoret. Proinde fratres ad id enitamini, vt prophetetis, & loqui linguis ne vetueritis, omnia decenter & ordine fiant.* Hanc consuetudinem huiusque Dominici præcepti vsum non restitui in ecclesijs, magnopere dolendum est. Sed dicat aliquis. Tanta est hoc seculo temeritas, tanta audacia, tanta impudentia, vt, si liberum sit cuiq; in ecclesia verba facere, nullus contentionum rixarumq; futurus sit finis. Quid ita? An aliud quid forte nunc est homo, atque olim fuit? Etiam, inquis. Degeneravit enim indies humanum genus adeo, vt iam ad summum ventum esse videatur. Itane vero? At vt ita sit: qui populi es institutor, an non & ipse ex eodem es luto? Non tu eodem es natus seculo? Quinimmo cum eo imprimis pertineat hoc institutum, vt pastores intra modestiæ contineantur cancellos: vt intelligant non se divini sermonis authores esse, non se solos esse spiritum adeptos

deptos: quo magis degenerauit humanum genus, eo neceſſariumeſt magis, quod enim maior hodie eſt temeritas, arrogantia, ſuperbia, id tam ad eos pertinet qui præſunt, quam ad reliquum populum. An tu propheta es? (Teramus enim hoc verbum) an eſt in te quid ſpiritus? Si non eſt. adeo non te ſolum decet in eccleſia verba facere: vt propemodum ſolus dignus ſis qui taceas. Quod ſi es propheta, ſi eſt in te ſpiritus attende quid tibi dicat Apoſtolus: *Agnoſce* inquit, *quæ ſcribo præcepta eſſe domini.* Age igitur, ab vna parte eſt Domini iudicium volentis prophetiam (& hoc enim verbo vtendum nobis eſt) communem eſſe omnium: atq; non in perniciem eccleſiæ, verum in ſalutem: ex altera tuum eſt verentis, ne id contentiones confuſionemque gignat vtrius igitur iudicio ſtandum magis iuerit? Si tuo putes: vide quid tibi ſumas, ac quem locum tuæ relinquas modeſtiæ. Scilicet non intelligebat Dominus, quale animal eſſet homo; tua videlicet opus habebat ſapientia, qui moneres periculi: aut non ſuccurrebat fortè præter modum corruptum iri humanum genus, vt libertas eiuſmodi futura vtilis non eſſet At reſpondet tibi Paulus, *non eſſe contentionis authorem Deum, ſed pacis:* qui cum optimè *Ibid.*

mè intelligat; quid ſerere contentiones poſſit, quid pacem parere, neque tamen contentiones amet; aut velit, ſed pacem: hanc prophetandi libertatem in eccleſia velit eſſe. Quid tu contra afferes? Quid tu ipſi obijces Deo? Illum ne accuſaueris imprudentiæ? lingua quidem nemo tam nefarius fuerit, qui auſit. Verum tuum ſi cor exploraveris diligentius, procul dubio eiuſmodi ſenſum aliquem, neſcio quomodo ipſo cum Deo litigare paratum deprehenderis: qui audiendus non eſt, ſed acriter reprimendus, ac ſpiritui omnino ſubijciendus. Abſurdum illud quidē videatur, poſtquam fortè eruditiſſimus quiſpiam verba fecerit, contempto cuipiam eſſe contradicendi locum. An ne autem tale quid aggrediatur ille, ſiue temeritate maxima? ſi humano rem iudicio metiri debeam, negare equidem non poſſum? Verū ſi ſerio perſuaſi tumus, divinarum rerum ſcientiam non vigiliis noſtris, non ſtudijs, nō ingenijs acceptam fieri debere, ſed Deo, eiuſque ſpiritui: atq; is momento donare ea poteſt vel ineptiſſimum quenq;: neq; ſane maiore labore aut difficultate quam eum qui Neſtoris annos in ſtudijs contriuerit: quid eſt quod hunc, ſi contradicturus aſſurgat, temere putem facere? An non potuit ei quid ſpi-

ſpiritus aperire, quod te celaverit? Ac ſi aperuit, & in eum finẽ aperuit vt contradicat, vt per eum res illa eccleſiæ palàm fiat: an ego temere eum dixerim facere qui ſpiritui ſancto pareat? Quod ſi tibi aliter videtur, næ haud perſuaſus es huius ſcientiæ authorem doctoremq; eſſe ſpiritum: verum eam laudem ſtudijs, vigilijs ingenioq; deberi omnem putas. Ac ſi ita cenſes, tibi iterum dico: dignũ te eſſe non qui ſolus verba facias, ſed qui ſolus taceas potius. Ac quo magis intelligas, dicendi locum eſſe oportere, vel indoctiſſimo cuiq; vult Deus ſuorũ donorum ſe agnoſci authorem: non vult ſuam laudem tribui noſtris aut ſtudijs, aut ingenijs, ſed ſibi. At ſi is qui omnẽ vitam in ſtudijs conſumpſerit, ſapienter loquitur non id Deo tribuitur ſed ſtudijs: verbo quidem forte, ſed vehementer tamen repugnante noſtro iudicio: hoc inquam pati non vult Deus. Sin ex indocti cuiuſpiam ore ſapiens verbum audieris, velis nolis, Deum authorem agnoſcas neceſſe eſt. Sic cum Iſraeli Gedeone duce, in Madianitas tributurus victoriam eſſet Deus, coegiſſetque Gedeon xxxij hominum milia, ne gloriaretur Iſrael, ſe ſua virtute victoriam reportaſſe, nõ Dei favore (quod videri potuiſſet, ſi tam numeroſo pugnam commiſiſſet exercitu) non ſu- Iud. 7.

pra

pra trecentos esse voluit: vt appareret, se victoriæ authorē fuisse, non pugnantiū vel numerum, vel virtutem. Est autē cum Dei gloria coniuncta maxima ecclesiæ vtilitas: Nam si videat populus modo hunc, modo illum prophetiæ donatum spiritu, præter omnem expectationem, erigentur multi talibus exemplis in spem eiusdem doni, si petierint, obtinendi: accendentur ad diuinarum literarum lectionem multi: discent, proficientq; multi, atque ita fiet: vt cum verbi ministri opus electione fuerit: non necesse habeat ecclesia peregrinos, ac sibi incognitos accersere, sed habeat ex suis; quorum nota sit vita, & spectati mores; quos elegat. Cumq; magnus esset eorum numerus qui ad prophetandum idonei redderentur, non necesse esset ijs vti pastoribus, qui iam inde à pueritia eiusmodi munera sibi tanquam studiorum suorum mercedem proponunt: neque secus ad diuinarum rerum studia se conferunt, quam ad aliam artem quamlibet ex qua sibi victum quærerent, fecissent: vt vix perpaucos eorum alios sperare possis evasuros pastores, quam mercenarios, fuisse autem hunc communis prophetiæ morem in veteri Iudæorum ecclesia, ex eo conjicere licet, quod literis proditum sit, *Dominum Na-*

Luc. 4.

zarea

zareæ die qui ſabbatum dicitur, pro more in Synagogam cum veniſſet, librum accepiſſe, & Eſaiæ locum expoſuiſſe: & *quod duodecem* annos natus Hieroſolumis in templo inter doctores ſederet, diſputaretque. Non enim ratione vllius ordinarij muneris id facere poterat, cum neq; id ætas ferret, neque quis eſſet, doctoribus illis conſtaret. Quinimmo oportet in eo Dominum poteſtate cuique permiſſa vſum fuiſſe. In Chriſtianorum quidem eccleſijs duravit ſaltem ad tempora vſque Conſtantini. Sic enim ea de re ſcriptum reliquit Euſebius: *Si quis Dei afflatus gratia ad populum orationem haberet, magno omnes ſilentio defixis in eum oculis, vt ſi cœlitus nunciaturus aliquid eſſet, ita eum auſcultabant.* Tanta erat auditorum reverentia, tantuſq; in ſacerdotibus cernebatur ordo, inde alius. Neq; ſolum duo, aut tres, ſicut Apoſtolus dixit, ſed quibuſcunq; daretur quod dicerent. Vt magis contingeret in eis illud quod Moyſes optaſſet. *Quis det vt populus omnis prophetet?* Nullus enim livor erat: nemo invidia æſtuabat, dona Dei diſpenſabantur, vnuſquiſq; prout ſcriptum eſt, ad eccleſiæ confirmationem vt abundaret, dabat operam: fiebantque hæc omnia cum charitate ita, vt certatim ſe honore afficerent mutuo, & aliter alterum

Lib. 9. Eccl. Hiſt.

terum sibi preferret. Sed vtilis esse possit ecclesiæ communis hæc prophetia: attendendum diligenter est, quid nos moneat Apostolus, nam certum illud est, hominis tantum esse superbiam, vt quicquid semel exciderit, omnino ratam esse velit: neque pati possit id a quoquam infringi. Ergo si eius esse possit iudicare, qui prior dixerit: mirum fuerit, si semel in vita contingat videri qui contradicenti cedat, quid porro hic Paulus? *Prophetæ duo aut tres loquantur* (inquit) *cæteri iudicent*. Non vult ergo eosdem esse partes ac iudices. Additq; paulo post: *Et spiritus prophetarum prophetis subiectus est, non enim dissentionis est Deus, sed pacis*. Quare vbi quisque suam dixerit sententiam, eum aliorum acquiescere oportet iudicio, neque pertinaciter contendere, hoc ni fiat: certum est contentionum finem fore nullum. Sed quid si assidentium iudicio acquiescere quis nolit? Equidem dixerim admonitum grauiter, ne turbet ecclesiam, neue contra Apostoli, vel potius Domini præceptum faciat, iubentis prophetarum spiritus prophetis subiectos esse: ejiciendum è cœtu, vel si principem in ecclesia locum obtineret. Monendus etiam sæpe est populus, non fieri cuiq; ab apostolo dicendi potestatem in ecclesia: vt

1 Cor. 14.

Sed absit contendendi libido verecunde modesteq; agere oportet

vt tanquam in foro liceat quicquid in buccam venerit, ſed quum ei cui pateſactum quid fuerit, loquendi poteſtatem facit, abeſſe omnem vult temeritatem impudentiamque. Qui Dei eccleſiam veritus non fuerit: is Dei ſpiritum, qui ei præſidet, ſciat ſe ſpernere, neque impune laturum. Antequam in medium adferat quid, cogitet quid, cogitet etiam atque etiam cum animo ſuo, quam certam eius habeat pateſactionem: ac quicquid tandem ſit: meminerit verecundię ac modeſtię, ſine quibus certè fieri nihil poteſt. Sed hic videndū eſt intentis animis, & quatenus, acquieſcere quēque ſedentiū oporteat iudicio, & quis merito haberi eccleſiæ turbator poſſit. Equidē eatenus cedendum puto, vt poſtquam quæ habebā in ſententiam meam attulero, ſi adhuc ſedentibus minus mea probetur ſententia, tueri eam deſinam, ceſſemq; eccleſię ea de re moleſtus eſſe, vt autem etiam fatear me erraſſe, vllamq; culpam deprecer cum erraſſe me nondum intelligam, cogi non debeo, cum ſi pararem, reluctante conſcientia id facturus ſim, ideoq; in Deum delicturus. Eccleſiæ ergo turbator is fuerit, qui ſtare aliorum iudicio quatenus dictum eſt, recuſat, pergitq; moleſtus eſſe: ſed maxime is qui exigere ab alio quod non debet, velit:

videlicet vt recantet non persuasus. Sed plerunque turbatores habentur ij qui suo calculo probare quicquid quomodo pastoribus exciderit, recusant. Rursus quæri hic haud absurde possit, vtrum postea quam semel aut iterum quapiam de re actum est, si quis denuo cognito iam ecclesię iudicio revocare eandem rem in controversiam vel let, audiẽdus sit: an potius silere, ac rem pro judicata haberet iubendus. sed de hoc alius commodior fuerit differendi locus. Quod superest igitur, assiduis precibus cõtendendum à Deo est nobis, vt det hac tam salutari libertate vti, & ex ea fructum consequi quam amplissimum. Atque id vt accidat, suo spirito nostros vt domet frangatque spiritus ac mansuetos reddat: neque patiatur, quod ipse ad ecclesiam suam confirmandam stabiliendamque instituerit, nostra pervicacia ingeniorumque perversitate in eius malum perniciemque converti. Sæpe autem illud factum est, vt si gravius aliquid occurreret judicium, non vna particularis quæpiam ecclesia sola iudicaret, sed aut provinciæ, aut vniversi etiam Christiani orbis consilium convocaretur. Quod an fieri debeat, & quæ conciliorum esse debeat authoritas, quærere aliquis possit. Quod retinenda consue-

tudo

tudo sit convocandorum conciliorum, mihi videatur satis aperte Apostolorum docere exemplum. Si enim veris tanto spiritu donatis expediebat conferre inter se de religionis controversiis: multo magis id fieri debere videtur, vbi non tantum est spiritus: neque vero parvi facienda est Domini promissio, qui reciperit, vbicunque convenerint duo, aut tres eius nomine, se interfuturum, sed de authoritate difficilior est quæstio. Ac cum mihi nunc non cum Pontificijs res sit, sed cum ijs qui Evangelicam restitutam velunt veritatem: non esse vlli concilio ius aut nouas leges condendi, aut novos cultus instituendi demonstrare multis verbis, necesse non est. Sed quid de religionis controversiis quæ super sanctarum Scripturarum interpretatione oriuntur, dicemus? An de illis saltem ius sit concilio, quid tenendum sit statuendi? ac nisi hoc saltem facere possit: an vllus alius reliquis sit conciliorum vsus? Et quicquam ne interfit inter Apostolorum, & successorum concilia? Si quam certum est Dominum staturum perpetuò suis promissis, tam etiam certum esset, qui conveniunt, semper ad Dei gloriam suas conferre cogitationes, eorum veri cognoscendi spem in solis Domini promissis, eiusque spi-

ſpiritu poſitam habere: quin conciliorum iudicia omnia firma rataq; habenda eſſent, nulla cauſa eſſet. Verum cum hæc animorum cordiumq; ſint arcana: ea cognoſcere ſolius eſt Dei. Cumq; hæc lateant quæ Domini promiſſioni ſunt adiuncta, nihil habet hic conſcientia cui innitatur certi. Doce me conueniſſe ſiue epiſcopos, ſiue quoſvis alios Chriſti nomine: libenter acquieuero, ſed vt id fecerint, quo pacto id docueris? Quia ita illi teſtentur? Quaſi vero non & impij ſimulatores idem de ſe teſtaturi ſint. Certè autem nullo modo veriſimile eſt, Deum nobis talem impoſuiſſe legem: vt aliquando ſiue parere ei vellemus, ſiue nollemus, omnino culpæ nos ſubiectura eſſet. Eiuſmodi eſſet autem nobis lex impoſita: ſi cum obtemperare nos concilio oporteret, aut concilium errare poſſet, aut ſi erraret, noſq; pareremus, habitura apud Deum excuſationem non eſſet noſtra obedientia. Atqui errare poſſe concilia, non dubitamus: quinimmo ſæpiſſimè erraſſe, nihil eſt certius. Nos autem ſi impio cuipiam concilij iudicio parueri mus, excuſatum iri nullo verbi Dei teſtimonio certi ſumus: immo vero graviter monemur, ne vel cœleſti angelo, ſi docere quid voluerit, præterquam quod ab Apoſtolis ſit traditũ,

fidem

fidem habeamus. Divina enim scripta proposita nobis sunt, ex quibus Dei voluntatem cognoscamus: quæ vt rectè intelligamus, docemur sapientiam spiritu nque à Deo petere concilijs vt acquiescamus nullum est, quod sciam, verbum. Quod si neque excusationem habitura est nostra erga concilium, si perperam quid decreverit, obedientia: neque certum est, concilia nunquam errare: neque dicendum est, Deum nos tali legi subiecisse, cui aliquando neque parere, neque non parere absque culpa possemus: sequitur vt conciliorum iudicijs acquiescere nemo sit cogendus. Cumque idem sit, siue dicas, ius concilium habere de religionis controversiis iudicandi: siue dicas, oportere quemlibet, quicquid concilium decreverit, ei obtemperare; nos autem docuerimus, nulla lege quenquam parere juberi, consequens est, vt conciliũ tale ius non habeat. Quid porro de eo dicamus qui ad docendi munus sit vocatus? Num ei omnino obsequendũ esse concilio vt non aliter doceat, quam quemadmodum à concilio sit statutum? Absurdũ quidem fuerit, quenquam quod credere ipso tutò nequeat, eũ id docere alios oportere. An verò si impium in ducendo concilij iudicium sequutus fuerit, magis excusa-

bitur, quam si ei fidem adhibendo ipse sit sequturus? Immo vero multo minus eum enim qui quid docuerit, præterquam quod ab Apostolis est traditum, execrabilem vult Paulus esse, aut is ne magis quam qui tantum credit concilio, nec docet, tali teneatur laqueo, vt siue obsequatur, siue minus, in culpa sit futurus? An silentio potius se dederit? *Væ mihi* (inquit Paulus) *nisi Evangelium docuero*, & Petrus: *Magis oportet obedire Deo quam hominibus*. Patet igitur concilium ius non habere de controversijs ita iudicandi, vt eius decretis parere oporteat. Cumque concilia convocanda illa quidem sint, sed non hunc in finem: necesse est, finem alium esse aliquem, cuius gratia convocentur. Quod si coierint concilia, vt propositis controversijs quæ turbent ecclesiam, & facta cuique libera dicendi potestate, quibus placuerit Domino aliquid quod ad rem faciat, patefacere, ij verba faciunt, dicantque quod sentiunt: alij deinde iudicent: non vt collectis sententijs maior numerus legem faciat, quæ cuiquam assentiendi necessitatem imponat (sic enim plerumq; maior pars meliorem vinceret) sed vt quilque expenderet, quod dictum esset, vt si idoneis diuinarum literarum testimonijs comprobatum videret

videret: id &amplecteretur ipſe, &alijs perſuadere conaretur non concilij authoritate, ſed ijs verbi Dei teſtimonijs quæ didiciſſet in concilio. Certè hunc ſcopum ſi propoſitum ſibi haberent qui conveniunt, etiamſi inter ducentos aut trecentos hypocritas tres tantum aut quatuor eſſent verè pij, quibus cordi eſſet Dei gloria, quique Domini promiſſis fiderent, & peterent ſibi veritatem patefieri, illi tam pauci non fruſtra convenirent, non faceret profecto tanta illa hypocritarum multitudo Domini promiſſa irrita: quod vni patefactum fuiſſet: id omnes quicunque eſſent dociles, amplecterentur, atque ita fruſtra victoriæ ſpem collocaret ſatanas in imperitorum, ſuorumque ſimulatorum numero, aut in externa perſonarum dignitate. Non tantopere laboraretur in redimendis ſuffragijs, eorumq; implendo qui vincere poſſet numero: ſed magis vt ea invenirentur veritatis fundamenta, quibus videret ſe tuto quiſque poſſe initi. Videremus profecto non raro, etiam per contemptiſſimum quenq;, Deum magnas diſijcere errorum nebulas. At quandiu numero, atque externæ dignitatis ſplendori ptimæ potioreſq; tribuentur partes, quandiu maioris partis conſenſus quaſi legis loco fuerit,

rit, nihil certius est, quàm fore, vt plerunque vincat satanas. Quo pacto igitur poterit (inquies) aliquis cuiuspiam impij dogmatis ergo piorum priuari communione? An maior fuerit particularis cuiuspiam ecclesiæ, quam vniversæ authoritas, vt illa damnare tum dogmatum hominem possit, hæc non possit? Respondeo: Ecclesia quæpiam, quum aliquem damnat, nisi id iustè facit, à se quidē eum separat eatenus, vt non agnoscat pro suo: sed nō separat à Christo: neq; propterea quod sibi fidem non adhibeat, vlli eum apud Deum culpæ subijcit: quam iustè quidem reijciat, ipsa viderit. Cęterum quum iustè reijcit, non ideo iustè reijcit, quia sua ille dogmata non amplectatur, aut suis iudicijs nō acquiescat: sed quia doctrinam divinitus traditam respuat, & eam quidem ad salutem cognitu necessariam. Quum etiam ecclesia quæpiam hoc probat dogma, illud improbat, non credendi legē cuiquam imponit, quam Deus omnino ratam habeat, sed tantum suam declarat fidem: vt qui non idem sentit, saltem in præcipuis doctrinæ capitibus, is ad eum cœtum intelligat se non pertinere, necesse est enim, aliquam esse politiam, vt non cogatur cœtus habere communia cum eo sacrorum iura, quem cum Dei

eccle-

ecclesia nihil commune habere persuasum habeat. Atque ex his quidem quid interſit inter Apoſtolorum,& eorum qui ſe illorum ſucceſſores faciunt, quicunque ii tandem ſint,concilia ,& intelligi facilè, & explicari vno verbo poteſt. Quandoquidem conſtabat, Apoſtolos ab ipſo Domino ad Apoſtolos,ab ipſo Domino ad apoſtolicum munus nominatim delectos fuiſſe, conſtabat magna ſpiritus vi donatos, qui ſpiritus eos in omnem ducturus veritatem eſſet: de vllis autem ſucceſſoribus nullum tale extat teſtimonium: ſed tantum qui, & quales ſint ex eorum tum dictis,tum factis in quibus fucus eſſe poteſt, capienda conjectura eſt: in Apoſtolorum conciliis, ſpectandum erat, non tam quid judicatum eſſet, quàm per quos id judicatum fuiſſet: vt non neceſſe haberent quamobrem quid decernerent,multis verbis rationem reddere.Contra, in ſucceſſorum conciliis non ita multum refert, qui ſint qui quid decreverint: ſed illud multò magis eſt videndum, quid, & quale ſit id quod decreverint, quæ teſtimonia ex divinis afferantur literis,quam apertè,quàm perſpicuè ea teſtimonia id doceant quod aſſeritur. Ita quod Lutherus docuit, ſolo nos Chriſti beneficio ſervatum iri, id nunc perſua-

ſum

sum habemus: neque tamen Lutherum hic intuemur, sed quæ citat è divinis literis testimonia, quæ ipse etiam interior expositor spiritus testatur animis nostris id velle. Alioqui sint valde multi, sint pii, sint eruditi, sint sancti, immò verò sint etiam cœlestes angeli: nisi id quod afferunt verbi Dei testimoniis comprobatum intellexeris: non est quòd tibi concilii splendor oculos prę-stringat. Eam tamen concilio authoritatem tribui æquum est (nisi palàm sit veritatis hostium fuisse concilium) vt non temerè ejus rejiciatur sententia: sed eam expendat quisque diligenter, implorata ad rectè judicandum divina ope. Hinc etiam conjicere licet: quibusnam esse aditus debeat in concilium, quibus in eo esse locus. Nam cum non ad fidei leges vllas condendum conveniant, sed magis ad petendum à Deo spiritum per quem in veritatis viam perducantur, atq; vt vno verbo dicam, ad discendum: non necesse fuerit aut Episcopum, aut Archiepiscopum, aut Romanum Pontificem esse, sed neque præclaro vllo eruditionis nomine, immò verò in quocunque aliquid esse videatur pietatis, atq; spiritus: quamobrem excludendus sit, nulla causa erit. Ita videre est in Apostolici concilii decreto post Apostolos, ac senio-

res

res totam nominari ecclesiam. Cum enim non sit Sp. sanctus vlli externæ alligatus dignitati, aut certo personarum generi: quis novit per quem potissimùm sit Deus veritatem patefacturus? Cumq; non vllus suffragiorum spectandus sit numerus, sed tantum quid dicatur: tametsi ineptus fortè aliquis, aut simulata vir pietate admissus fuerit, obesse non multum poterit: siquidem qualem eum sua expresserit oratio, talis habeatur. Ac de doctrina quidem quibusnam depravetur rationibus, & quibus cautionibus ad eam, quum pura ac sincera est, conservandam vtendum sit, dictum est: deinceps vt morum solvatur disciplina, vtque quo minus id fiat, sit cavendum, sequitur vt dicamus.

SATANÆ STRATAGEMATVM

LIBER QVINTVS.

CONTRA legem qui committunt, partim intelligunt illi quidem se delinquere: sed aut depravatæ naturæ quodam rapti impetu, quodammodo inviti delinquunt: aut ruptis timoris habenis omnibus

omnibus, legem parvi faciunt: partim ita delinquunt, vt se contra legem facere aut non intelligant, aut non animadvertant. Ac non intelligere quidem dicendi sunt ii qui legis cognitionem aut nullam habent, aut magnis impiisque depravatam erroribus: qua de re satis multa dixisse videmur Libris superioribus. Non animadvertere autem, qui etsi legem vtcunque cognitam habent, eam tamen ad faciendum suarum actionum, studiorum cogitationumque examen non adhibent, tanquam qui speculum haberet ille quidem, verùm haud introspiceret: propterea quæ maculas quas haberet in facie minimè cerneret, aut si adhibent, adeò depravato, nulloq; in eo vtuntur judicio, vt quales sint in suis actionibus videre nequeant. Quemadmodum si quis proponeret quidem sibi speculum: sed cum corrupto vteretur videndi sensu, videre suas maculas non posset. Vt qui legem cognitam habent, eam ad judicandum de suis actionibus non adhibeant: id pluribus de causis potest contingere. Præcipuaq; illa est, quòd in rebus aliis occupati hi quidem suis voluptatibus illi in suis mercaturis, alii in quærendo suis manibus victum, alii in humanarum literarum studiis: quinimmò etiam divinarum (ita

Sanctimoniæ fingendæ artificia.

(ita videlicet contemplationibus dediti, vt quis earum esse vsus debeat obliviscantur) alii occupationibus aliis districti haud sumunt sibi tempus ad faciendum suæ vitæ examen, eamq; ad divinæ legis normam exigendum. Alii hoc examen prætermittunt: quia tantum jam profeciſſe sibi videntur, tamq; in promptu legem habere, vt parum iam arbitrentur necessarium. Quasi labi amplius ac decipi recti specie non possint. Qua persuasione ducti, securi vivunt: multaq; more hominum admittunt, in quibus etsi plurimum sit culpæ: tamen vel tantillum inesse ne venit quidem in mentem vnquam suspicari. Sed plerisque illud quidem accidit, vt tãtùm aut ea mala opera intueantur quæ suo judicio nó perpetrant, aut ea bona opera quæ se facere opinantur, vt in illis sibi placeant: quid mali perpetrent, aut quid prætermittant, haud ita animadvertunt. Itaq; fit, vt cũ Pharisæo blandiatur sibi quisq;, *quasi non sit qualis cæteri homines.* Atq; hujusmodi quidem incuriam ille consequi plerũq; error solet vt somniãtibus persimiles vitæ sanctitatem omnem in re quapiã collocent, quæ à Dei prorsus abhorreat institutis: defixisq; in eã, oculis præclarè admodum secum agi arbitrantur: aut etiam in res aliquot earum quę

divina

divina sunt lege comprehensæ intenti, perinde ac si à nobis Deus nihil præterea exigeret, rerum aliarum non recordantur. Equidem, vt mira quædam fœdissimorum errorum caligo fuerit in Papatu (vtamur enim hoc verbo) nunquam tamen eò cæcitatis ventum esse crediderim, quin, si quempiam interrogasses, crederet necne decem Dei mandatorum necessariam homini Christiano observationem esse: responsurus esset, omnino eam se credere necessariam. Et si præterea interrogasses: Quid ergo? Cum ne tu in bonis piisque Christianis duxeris, qui illorum decem mandatorum neglecta observatione, conspiceretur tamen frequentare missas, abstinere carnium esu iis diebus quibus à Romano Pontifice iis interdictum est: semel, aut bis in anno sua confiteretur sacrificulo delicta, divorum veneraretur imagines, & alia id genus omnia faceret? Non dubito quin prorsus negaturus esset, & tamen id vsu venire certo certius est: vt si quis videatur frequentare missas, aliaque servare quę modò à nobis dicta sunt: etiamsi constet eum esse adulterum, aliisq; vitiis deditum, quæ sunt decem Dei mandatis damnata: & aliorum judicio, & suo ipsius Christianam ille vitam ducere perpulchrè videatur. Ejusmodi

jusmodi igitur persuasio, quòd vitæ sanctitas illis solis in rebus insit, ita latet in hominum animis, vt se sic judicare non animadvertant: immò verò si quis interrogetur, ita respondeat, vt nihil minus credere videri velit: sed eo tamen errore duci pleroſq;, ex cujusque tum de aliis, tum de se judicio certissimè cognosci potest. Eodem modo si à quamplurimis ex nostris sciscitêre, arbitrenturne in eo Christianam pietatem positam: vt de Rom. pontifice, cardinalibus, monachis, ac sacrificulis contumelioſe loquendi finem quis nunquam faciat, eorum tum impostoras, tum errores nunquam cesset stomachari, nullum habeat (religionis quidem causa) ciborum delectum: adeò fateantur ad vnum omnes, nequaquam in rebus ejusmodi solis pietatem esse positam: vt miraturi sint, id cuiquam venire in dubium potuisse: sed nihilominus latêre in multorum animis hujusmodi quandam persuasionem, perspicere licebit: si quis diligentius ex vna parte observet quales sint iis in actionibus quæ verè Christiano sunt homine dignæ: ex altera videat, quantam suæ sanctitatis præ se ferant opinionẽ, haud alia de causa, quàm quòd magnas profiteantur in Papatum inimicitias, ac magnificè de Evangelio in congressibus

congressibus, atque inter pocula loquantur, mirificisq; laudibus eos extollant qui in Evangelii restitutione clari extiterunt. Permulti etiam in eas res nimium intenti, quæ res potius sua sponte veram animi dejectionem consequuntur, quàm quòd vllo studio eas affectet vera pietas: quod genus sunt, omnis ornatus in vestitu, in rebus omnibus neglectus, omnis musicæ, nisi quæ aliquod conjunctum habeat pietatis exercitium, contemptus, quædam vultus severitas, atq; in actione omni gravitas, qualis in iis cernitur omnibus qui animo res magnas, gravesq; agitant: hisce igitur in rebus, atque id genus aliis occupati, adeò in eis sibi placent, tantique eas faciant: vt eorum ex quibus hæc sua sponte manare oportebat, ne meminerint quidem: cumque in illis abundè sibi satisfaciant: Christianè sancteque se vivere non dubitant. Idq; iis accidit non ideo, quòd à quodam tantù excitati somno qui eorum occupat mentes de rebus judicare melius non possent: sed quia quid faciant, parùm attendunt. Quid autem remedii opus fuerit istis omnibus, nisi vt à somno excitentur, moneanturque frequenter, quàm brevis sit hujus vitæ vsura: quas pœnas daturi sint ignaviæ, incuriæ oscitantiæq;: nisi intentis animis Domi-

ni

ni legem meditati fuerint die noctuque,& ad ejus normam vitam ſuam prudenter inſtituerint? Sed ſunt & alii,ac valde quidem multi: quinetiam eorum ex numero qui non parvo intervallo alios ſe putant antecedere,immò verò alios omnes præ ſe contemnunt: qui ſimiliter quid faciant non attendentes, mirum quoddam ſibi finxerunt ſanctitatis genus: nam diligentiſſimè quiſque vicini ſui facta explorat, ſuamque ad cenſuram revocat. Neque verò hi ex illis ſunt qui vulgo compotationibus, gulæ,crapulæ, ſcortationibus, luxui,laſciviis, aliiſque id genus perditiſſimis moribus ſunt dediti: quinimmò ex iis quorum alioqui multo emendatior videatur vita quàm cæterorum. Sed cum hominis Deum amantis ſit ab omni vitæ turpitudine, licentiaque abhorrere, ac rectè, honeſtè ſancteque factis delectari, hanc pietatem quam in ſua quenque vita præſtare oportebat, in examinandis aliorum factis præſtare magna ex parte volunt. Itaque indagant illi quidem admodum curioſè, qualem hic, & ille ducat vitam: quid faciat, quid dicat: quinetiam fortè quid cogitet: quos amet, quos colat, quos minus: neque vlla tam parva res eſt, quin ea ſatis ſit idonea propter quam malè de fra-

Quidam vt ſe ſanctos ſimulent, rigidè tetriceq; alios cenſent damnantq;.

tre sentire incipiant. Quicquid ejusmodi est, vt potuerit tam malum, quàm bonum in finem fieri, id aliter quàm deteriorem in partem interpretaturi nunquam sint: minus sæpe videlicet se erraturos rati, si semper quod deterius sit, opinati de altero fuerint. Ac si semel aliquando minus commodam quispiam apud eos in opinionem venerit, actum fuerit. Illum enim eodem perpetuò habebunt loco, ac exploratum haberent, ad meliorem eum frugem redire nunquam posse: quamprimùm autem ad eorum aures de vicino quid pervenerit, cave putes fore, vt eum conveniant, amanter moneant, officiiq; vt meminerit, hortentur: nihil minus. Immò verò cum quovis potius de eo maledico dente egerint, quàm cum illo vel vnum verbum fecerint, in vulgus rem extulerint citius: neq; susurrandi finem facient antè, quàm aliud aliquod argumentum illis offerat se egregiam illam suam pietatem exercendam. Tantumque abest vt deinceps eum in fratrem vllum collaturi sint officium: vt potius, ne apud quenquam vllam possit ille humanitatem invenire, operam sint daturi: atque hæc cum faciant, mirum quàm sublimi loco suam sitam sanctimoniam arbitrantur: vtque qui se non imitantur, spernunt,

ac

ac pro nihilo ducunt : id quod eò est dolendum magis, quòd isti ex iis sint qui Evangelii causa extorres fieri, bona, honores, commoda, propinquos, amicos relinquere non dubitarunt : quoq; speciosiora eorum fuerunt initia. Equidem quid dicam, scio multos novi, nec vno loco, nec vnius nationis : sed erant tamen omnes propter Christum extorres. Hem fratres, ista quidem quam ingressi estis, haud recta via est ingressi quidem olim rectam estis : sed declinatis ab ea. Certè autem quam nunc insistitis, ea vos perditum ductura est : redite verò in rectam, dum licet, dum diei vobis supersit aliquid, neque committatis, vt istac vos aberrantes nox offendat. Certè autem charitati adeò non lyncei sunt oculi ad videndas alterius maculas, vt ne sint quidem ei oculi vlli : plànè cæca est. Tegit alterius peccata : neque sinit ea videri, ac libet ne quî id fiat, perspicere ? Matrem intuere quæ filiolam vnicè diligat : tametsi minimè venusta sit forma, ei tamen videatur valde egregia; si ejus inconditi, rustici, atque etiam perversi mores sint : ei tales videri non possunt. In morbo quũ fuerit, si ea illi accidant quæ cuivis movere stomachum possint, ab iis mater nihil abhorret. Si grandior facta

1. Cor. 13.
1. Pet. 4.
Prov. 13.

ad mores parum honestos deflexerit, vix tandem post omnes mater persuaderi id sibi patitur: quicquid eam illi suspectam reddere debuerat, id meliorem in partem interpretatur: neque de ea suspicari quicquam potest mali ante quam peccati testes suosmet oculos habuerit: hæc scilicet facit amor charitasq;. Sed stolidam (inquis) ineptamq; tu quidem charitatem narras: ego verò stolidam atq; ineptam: non enim charitas fuerit (in homine quidem) nisi stolida & inepta fuerit. Quid illud est enim? *Male cogitat, omnia fert, omnia credit, omnia sperat*? Tibi ne Apostolus hisce verbis videtur admodum callidam versutamq; depingeret? Annon matris videtur, quem modò dicebamus, affectum exprimere? Pulchrè etiam concinit quod ait Solomon, *Odium suscitat rixas: at universa delicta operit charitas*. Sed, obsecro te, si cui offensionem cõdonaveris, isq; eadem ipsa die cum te rursus offenderit, veniat, dicat se pœnitere, ac sibi ignosci postulet: quid ineptius fuerit (nostro quidem judicio) quàm fidem adhibere, ac non potius ludibrio te illi esse suspicari? Hoc enim eadem dictaverit sapientia quæ illud: Qui semel malus, semper putatur malus in eodem genere mali: attamen quid hic præcipit Dei filius? *Si in te*

1 Cor. 13.

Prov. 20

(inquit

(inquit) *peccaverit frater tuus, reprehende eum: & si eum pœnituerit, ignosce ei. Quod si vel septies vno die in te peccaverit, & septies eodem die ad te redierit, & se pœnitere dixerit: ignosce ei:* consulite hîc, quæso, rigidi tetriciq; censores omnes, vbicunq; terrarũ estis: consulite vestros sensus, an non ineptissimè vobis videatur facturus, qui huic paruerit præcepto. Huic septiesne? Et eadem die? Negare non potestis: at cum is constans vester sit sensus, vt quæ Dei filius precipit, ineptissima judicet: atque adeò non repugnetis ei sensui: vt potius eo nomine in vobis mirum in modum placeatis: quod quæso istud est judicium? Non res ipsa palàm loquitur spiritus Domini in vobis esse minimum? Quod si est ita: quid est quod vos tantopere inflet? Quid alios præ vobis contemnitis omnes? Non necesse habeo hîc quibusnam dicam, significare. Ad quos hæc pertinet oratio: eos (si legerint) sua indicabit conscientia: ac si ipsi intellexerint, satis est: non enim eum in finem hæc scribimus, vt vllam cuiquam infamiam inuramus: sed vt chariſſimos fratres nostros ad mansuetudinem, ad charitatis officia, & ad verum, non fucatum sanctitatis genus pertrahamus. Hæc igitur: ad vicini peccata cæcutire, meliorem Luc. 17.

in partem interpretari omnia, nihil non bene ſperare de altero, adeò conjuncta cum charitate ſunt, vt vbi hæc non ſunt, ibi eſſe charitas non poſſit: non magis quàm ignis, vbi non ſit calor; proinde cum charitatem à nobis exigat Deus, & hæc profectò vnà vult, quæ ſeparari à charitate nequeunt: non ſanè, quin veriſſimum illud ſit quod dicunt quidam: Si minus ſæpe errare volueris, quod deterius ſit de quocunque ſemper cogitato: quippe cum optimè conveniat verbo illi. *Non eſt qui bene faciat, ne vnus quidem, aliſq; ſimilibus*: ſed ideo nobis hac charitatis cæcitate opus eſſe, quòd ęgerrimè inducere ſuum in animum poſſit quiſpiam in eum vllum conferre beneficium, aut eum amore proſequi, de quo haud bene ſentiat. At verò ſi curioſius lucerna adhibita velimus in alterius quiſque vitam inquirere, tandem qnales ſumus inveniemur omnes: vt ejuſdem videamur farinæ, quorum videlicet præſtantiſſimaque opera, (vt inquit) *Cum immundiſſimo mulieris conferri panno poſſint*, qui conſuetum patiatur profluvium. Cumque ſuis culpis extenuandis nemo non clementiſſimum agat, indulgentiſſimumque judicem: alienis autem judicandis plus ſatis ſimus ſeveri omnes, nihil erit quod con-

Pſ. 13.

Cap. 64.

lia-

liare alterum alteri possit: ad odia vero occasio nusquam deerit. Sed cum velit Deus bonitatem nostram suæ esse similem qui solem illucescere faciat bonis pariter ac malis: & quantacunque sit aliquis perversitate, eum tamen immensæ suæ beneficentiæ expertem non sinit esse: non vult in nobis tantum studium quo nos, quales simus, mutuò cognoscamus: immò verò id ipsum etiam quod exploratum de altero habeas: quodammodo non vult te credere: vt ita cum charitate ferre inter nos possimus. Nam vt fratrem ad bonam frugem revoces, à malo quopiam abducas instituto, non dedecet neque ejus cognitas habere actiones, neque vt cognoscas satagere. Sed ita demum, si tantum in Christi schola profeceris, vt possis fratrem vel innumerabilibus obrutum delictis diligere: nisi adhuc hoc sis animo, scito in alterius vitam inquirere tuum non esse: domi tuæ quod agas adhuc plus satis esse: tibi adhuc dici illud meritò posse. Medice cura teipsum. Etenim ineptè quum in vicino quod non placeat offendis, ejusq; rei causa indignum gratia tua judicas, quid videre te tandem arbitrare? Etiam si indigna admodum res fuerit, ne dubita, multò adhuc deteriora esse quæ latent. Quod

quidem cernis, non nisi festuca est quædam in ejus oculo: sed permagnæ adhuc insunt trabes quas aspicere non potes. Ac nihilominus eum vt diligas, exigit abs te is cui omnia debes. An verò tuo in oculo nullam festucam esse censes? Sunt absque dubio multæ, easque tam vident alii, quàm tu alienas. Immò verò & trabes insunt, & magnæ trabes, quas præter Deum, ac tuam fortè ex parte conscientiam videre nemo possit. Apostolus quidem intelligebat, in suis se oculis habere trabes: & ita intelligebat, vt graviter ingemisceret: *Hem* (inquit) *me miserum, quis me liberabit à corpore mortis huius?* Quare cum domi tuæ habeas quod aspicias, quod arguas, quod odio prosequâre: tantumne tibi supereſt ocii, aliena vt inquiras? Qua fronte ea impetere audes? Quî audes ob eam causam à fratre tuo tuum avertere animum, eiq; & apud alios invidiam conflare? Atque si fratrem tua indignum benevolentia judicas propter vel multa magnaq; delicta in eo animadversa: qualem, quamq; severam in te ipse pronuncias sententiam? Qui fac vt non tantopere, at certè omnino Dei misericordia & ipse opus habes. Non te illud verbum terret? *Serve nequaquam, ego rogatus abs te totum illud debitum tibi condonavi*

Mat. 18.

donaui, non ne debebas tu viciſſim tui conſervi miſereri, quemadmodum & ego miſertus eram tui? Te vero miſerum, cum fratri id quod maximè ex omnibus quiſque charum habet, bonum videlicet nomen tua linguæ petulantia eripueris: qua illi magna in re profueris vnquam? quum eum tuis ſuſurris fama ſpoliaueris, quid ei relique-ris? Leue tibi quiddam videtur (credo) os aperire, ac verba effutiri. sed perinde ne leuis tibi res videtur, vbi idem quiſpiam in honoris tui fraudem faciat? Quod ſi etiam tum ſolum id faceris: quum exploratum tibi eſſet fratris peccatum (cum fieri poſſit, immò vero charitati quæ omnia credit, credibile ſit admodum, fore vt is reſipiſcat, abducaturq; à praua illa conſuetudine) eo efferendo, atque per ora hominum traducendo rem faceres Chriſtiano homine minimè dignam, id quod Ioſephi exemplo doceri poteſt. Exploratiſſimum illi erat (quantum humano quidem iudicio aſſequi poſſet) Mariam ſuam ſponſam, quã, cum nondum attigiſſet, gravidam tamen comperiſſet: magnum admiſiſſe facinus, ac magna dignum animadverſione. Quid dicit autem ſacræ hiſtoriæ ſcriptor? Eum ne protinus exclamaſſe: rem in vulgus ſparſiſſe: ad magiſtretum queſtum iniuriam confugiſſe

fugisse? Sic certè feciſſent iſti de quibus nunc agimus, ſancti viri. Sed vide quam nihil eiuſmodi cogitaverit Ioſephus: quàm alio prorſus fuerit concilio, ſenſu? *Ioſephus* (inquit Matthæus) *vir pius cum eſſet* (nota) *vir pius cum eſſet, nolletq; eam traducere, cogitabat quomodo eam clam repudiaret.* Ergo ſi hominis pij erat peccatum illud tegere: profecto impij fuiſſet, eiuſq; in quo neq; Dei timor, neq; vlla eſſet charitas, id efferre: tametſi delicti tanta eſſet (vt ita dicam) certitudo. Quod ſi, quum quis compertum alterius habet peccatum, tamen haud optimè facit eo divulgando: quid fuerit, ſi nihil habuerit præter ſuſpiciones, ac leues etiam ſuſpiciones? An vero vel mica Chriſtianæ charitatis in eo eſſe poſſit, qui ad quemlibet leviſſimam etiam ſuſpitionem ea re temere privare fratrem non dubitaverit: qua, ſecundum Dei gratiam, nihil habere poſſit præſtantius? quamque reſtituere poſtea ei, ſi maximè cupiat, nequeat? *In quo autem non ſit charitas, quiue ſuum non diligat fratrem: quod facere de eo poſſis iudicium, niſi quod Deum nondum noverit?* Quid? Tu ne legem eum in finem poſitam fuiſſe ſomniaveris, vt quiſq; quam ſanctè hic eam impleret, quam ille nequiter violaret, curioſè obſervaret: potiuſque

Matth. 1.

vt

vt vicinum carperet, efferretq; quam vt ad sanitatem reducere eum conaretur? Si ita existimas: verè tu quidem somnias. Non (inquam) is est datæ legis finis sed hic potius, vt esset cuiq; vitæ regula, in qua, tanquam in speculo inquinamenta aspiceret, fœditatesq; non vicini, sed suasmet, vt vitam suam corrigere primum, deinde etiam vicini, si posset.

Aliud hallucinationis genus est, in quod qui incidunt, multa admittunt peccata: nihil minus se facere opinantes. Quod quidem est huiusmodi: Cum actiones, factaq; multa ideo solum tum laudem, tum reprehensionem mereantur, quod vel bonum, vel malum fuerint in finem instituta: multis vsu venit quod merito mirari omnes possint, vt suasmet cogitationes sensusque minimè intelligentes alio concilio revera quid instituant, alio id instituere sibi videantur. Scio absurdum hoc auditu visum iri: sed tamen (mihi crede) nihil verius, ac ne longe abieris, Iacobus & Ioannes Domini discipuli, quum in quodam Samaritanorum castello vna cum Domino admissi hospitio non fuissent propterea quod Hierosolymam contenderent, cui ciuitati propter religionis controversias quas illi cum Iudæis habebant, infensi erant, Dominum

minum sic interrogarunt: *Vis ne iubeamus ignem de cœlo descendere, qui eos conficiat: quemadmodum Elias facit?* Sed quid Dominus? *Nescitis* (inquit) *quo sitis Spiritu.* Videbantur illi sibi proculdubio divinæ gloriæ studio, eaque charitate, & pietate qua Dominum prosequebantur, id cogitasse: alioqui enim nunquam sic Dominum interrogassent. Verum quod retulerunt responsum, palam ostendit, ab offensione ex denegato hospitio accepta, inveteratoq; quod inter duos illos erat populos odio, nec non ab occulta quadam vindictæ cupiditate profectam eam cogitationem fuisse. Sed & quo tempore cœperunt Romani Pontifices opinionem, authoritatem splendoremq; adipisci, equidem nunquam crediderim eos omnis expertes fuisse pietatis, præter fortè paucos quosdam: cum minime vulgaris pietatis eorum in scriptis conspicua videre liceat vestigia. Igitur cum illi non modo paterentur se honorificentissimè coli, evehi, liberalissimeq; donari: sed etiam in acquirenda maiore indies authoritate potentiaque diligentem suam ponerent operam: verisimile profectò est, ita visum illis fuisse, eum splendorem Dei ecclesiæ vehementer fore vtilem: vt cum in maiore essent apud ordi-

nes

nes omnes veneratione, eorum multò plus ponderis haberent & monitiones,& reprehensiones, & ecclesiasticæ censuræ, quibus in officio populum continerent. Sed nihilominus ingenita in homine insatiabilis quædam habendi cupido, summaque animi elatio, qua fit vt quisque sublimi semper loco suam tum dignitatem,tum authoritatem, si possit, esse velit, non fere quicquam aliud illas ecclesiæ vtilitates eis persuadebat, & si nihil tale animadvertentibus. Nostra etiam ætate in Evangelij oppugnatione vt multi nihil spectent aliud, quam ne quid eis decedat de existimatione, de commodis, de opibus: quippe qui religionis cogitationem omnem ineptam, cachinnisque dignam putent : multos tamen adhuc esse, non possum mihi non persuadere,qui, quod faciunt, videntur sibi religionis amore,atq;vt Deo suam probent pietatem,facere. Immo vero ita futurum multis ante seculis ipsemet prædixit Dominus, ô qui tamen nisi eorum privatim quicquam interesset, vtra prævaleret sentẽtia: quam non tanto impetu, tantisq; animorum contentionibus hisce in cõtroversijs versarentur. Quid de ijs dicam, qui ad tutandam Evangelij causam arma induunt? Equidem vereor, multos magis duci conceptis Matth.13.

ceptis in adversarios odijs,& vindictæ studio, tum autem etiam patriam sedem, bonaq; ac commoda conservandi cupiditate, vt Christum domi commode liceat colere, neque extorres contempti inopesq; eum sequi cogantur,quam vlla admodum ardenti veraq;pietate.Faxit Deus,vt mea hæc prorsus inanis sit suspitio:certè committendum nemini est, vt non diligenter suos examinet sensus, ne fortè sibi ipse fucum faciat: ne cum suam rem agat, Christi se rem agere sibi persuadeat. Non disputo autem hic quid liceat hoc in genere Christiano homini, quid minus: tantum suos cuiq; falsos prætextus notos esse vehementer velim.

Quin summi viri multoties hic fallunt se suam causam agunt quin Dei se agere putant

Maior quædam hic occurrit speculatio, in qua eorum ad quos ea pertinet, æquanimitate vehementer mihi opus sit. Obsecro itaq; eos per Christum Iesum, ne quicquam, nisi re plenè cognita, commoveantur: tum,si temerè, si iniquè feciſſe reperiemur, succensendi locus sit, sin dixisse aliquid visi fuerimus, eorum erit dignitatis pietatisq; boni id consulere. Qui docendi in ecclesia funguntur munere, eaque de causa præclarum nomen opinionemque sunt adepti, si quis eorum attingat dogma aliquod: videmus sane quanta in eum so-

Adeo efferuescunt si quis sibi ausit contradicere.

leant

leant acerbitate insurgere. Neq; vero dubito (nam non nisi de pijs hic agimus doctoribus) quin sibi in eo videantur nihil spectare aliud, nisi vt Christi causam agant. Sed an subesse tamen possit aliud præter omnem eorum opinionem: quia tales homines maxime interest Christianæ reipublicæ nulla in re (magna præsertim) labi, vt à quo cavendum eis sit non lateat, magna animi intentione indagandum est. Cum prædixisset Dominus Hierosolymam proficiens, quæ illic sibi eventura essent, eumque hortatus Petrus esset, sibi vt parceret: quid illi Dominus? *Apage sis*, inquit, *satana: impedimento mihi es, non enim divina sapis, sed humana*. Quorsum hæc? Nimirum vt Domini apostolo, & ei quidem Apostolo cui Dei filius summi in se amoris testimonium reddiderit, ac pro cuius fide, ne vnquam deficeret, oraturum se pollicitus est, tale aliquid excidere appareat potuisse tam gravi dignum animadversione, vt eum Dominus, qui incredibili esset lenitate, satanæ appellaret nomine. Cum tamen verisimile omnino sit, visum sibi fuisse Petrum ea pietate qua Dominum coleret, addictum, sic eum fuisse hortatum. Quare etiam si præstantissimi sint aliqui in Dei ecclesia viri, & vates, & Apostoli ad eam instaurandam

ſtaurandam miſſi: tamen haud abſurdè eorum facta aliqua in dubium vocatum iri: potuerint ne aliunde, poſſintuè quam à Dei ſpiritu, proficiſci. Certè autem, quandiu eorum dogmata ita communi omnium conſenſu coluntur, vt omni careant controverſia, eorum illuſtriori loco ſit nomen, dignitaſq;: ſpectatior authoritas, vita omnis iucundior, magiſq; tranquilla. Si illa in dubium vocentur, ſimul de omni eorum ſtatulis eis moveri videatur: id quod placere humano ingenio non poteſt. Ac tametſi iſti Dei ſervi ſunt, magnaq; ſanctitate viri: homines tamen adhuc eſſe, certum eſt, in quibus hæreditatis quam à primis parentibus acceperunt, aliquæ adhuc maneant reliquiæ: quæ reliquiæ temporibus eiuſmodi ocioſæ non poſſunt eſſe, ac ſi minus emergere palam poſſunt, at certè clam inſidioſè aliquid moliantur oportet, ne eo quidem animadvertente, in quo id conentur. Certe autem, ſi quicquid faciunt optimi iſti viri, eo in genere rectè faciunt, ac ſolo Dei glorię ſtudio ratione alia nulla admixta: cum *nos ne cogitare quidem boni aliquid quaſi per nos poſſimus, ſed ad quamcunq; rem ſimus idonei, id à Deo ſit:* Dei ſpiritu duce id faciant neceſſe eſt, at vero ſpiritum carni, hoc eſt humano ſenſui repugnare:

2 Cor. 3.

pugnare, humanumq; ſenſum ſpiritui, eius eſt doctrina qui mentiri non poſſit : vt quicquid facias impellente ſpiritu, non niſi tota reluctante natura, ægrè atq; invitus facturus ſis. Quod experimur amandis inimicis, condonandis iniurijs, agnoſcendis erratis delictiſq; ſi quis nos merito reprehendat: exponenda vita propter Dei gloriam maledictis, ignominijs, inſectationibus: deniq; cruciatibus, atq; id genus alijs. Age igitur ad quos hoc quidem pertinet, expendite, obſecro, cum animis veſtris ſi quando in aliquem inſurgitis qui cum aliquid ſit vobis de doctrina controuerſiæ, magnaq; eum inceſſitis verborum acerbitate: quam invitis, quam reluctantibus eò impellamini ſenſibus veſtris. Sic enim fieri par eſt, ſi quidem impellente Dei ſpiritu id facitis. Itaq; veriſimile eſt, quaſi coactos ad id venire haud alio ſenſu, quam credibile eſt, Abrahamum vnicum filium ſuum Iſaacum immolare paratum fuiſſe: vt parendum quidem cenſeret Deo, verum præduram ſibi rem mandatam tota exclamaret, doleretq; natura. Veriſimile eſt, non facilè eo vos deſcendere, neque primo quoque impulſu: ſed acriter demum, ac ſæpe extimulatos, non dico adverſarij irritamentis,

sed internis spiritus motibus docentis omnino exigere Dei gloriam, ecclesiæq; salutem: vt tales homines quam asperrimis tractentur modis. Verisimile denique est, frigidius vos, parcius jeiuniusq; omnia exequi, quam exigat interna illa spiritus vis, ægrè verba quibus alterum durius imperatis, suppetere, subinde ad leniorem mansuetioremq; delabi stylum: orationem vix posse ad probra & maledicta redire. Considerate, quæso, apud animos vestros, primum sit nec ne verisimile: quæ quis facit Dei spiritus impulsu, in ijs eum tam difficili, tardo tergiversantique versari ingenio. Simul autem expendite, ejusmodi ne vos pugnam tergiuersationemque hoc in genere experiamini. Quod si vlla hic est vis, miror equidem vnde tanta sit verborum copia, atq; in quibusdam etiam tam elegans, tam ornata, ac tam pulcrè, concinnequè composita. Etenim quorundam scripta si quis inspexerit quibus rixentur cum aliquo: iuraturus sit, nihil fieri posse eloquentius, nihil copiosius. Quare si ad incessendum inexhausta quædam vobis suppetit lectissimorum aculeorum copia: si instar cuiusdam rapidissimi fluminis vestra currit oratio: si ad initium faciendum leviſſima quæque vobis satis idonea

Ad conuitia promptissimi, in ijs facundi.

idonea est causa: ac nusquam non satis multæ vobis occasiones offerunt sese: & postquam semel vellicare quempiam cœpistis, quasi addita in dies flammis materia, vester sedari nunquam videtur impetus posse: hîc invito genio rem agi nullo apparet vestigio. Quare videte, obsecro, etiam atque etiam, ne non vllus Dei spiritus vestris tunc aspiret velis: potius enim videtur tum Dei spiritus vestris animorum permotionibus excussus vos vobis omnino permisisse, vt per vos quidem qualesnam sitis appareret, id nisi ita esse vobis videtur, periculum facite vestræ in tractandis controversiis lenibus verbis, humanis, mansuetisque dexteritatis. Ac viderimus, vtrum hîc eadem futura sit verborum copia, idem ornatus, eadem vis. Equidem vereor vt tantundem præstare hic possitis. Quæ sit autem causa alia, nisi quod insectandis adversarijs, vestris obsequamini ingenijs: & quod vestræ est naturæ aptissimum, facia-tis. Lenitatem autem vt adhibeatis, charitate opus est, magnaque vi spiritus: cuius videte ne vobis non nimia sit copia. Neque vero propterea nego vos Dei servos esse, quin etiam ad res maximas delectos. Etenim si minus agnoscere Dei spiritum possum in tanta vestra acerbitate, vel si ipsum

in ſatanam vteremini,ne dicam aliquando in homines non peſſimos: alia eſſe video, quæ aliunde quam à Dei ſpiritu profecta fuiſſe perſuadere mihi non poſſum,ſed Dei ſerui erant & apoſtoli illi quos modo dicebamus: cum interim à Deo non eſſet neq; vindictæ cupido illa,neq; vitandæ mortis conſilium. Equidem pro Dei ſervis vos habeo,pro quibus etiam Deo maximæ debeantur gratiæ: quippe per quos tot, tamq; tetras fugaverit tenebras,tantum lucis attulerit Evangelio,ac tam immenſum hominum numerum à ſæviſſima ſatanæ tyrannide liberaverit.Magna hæc ſunt,quæq; facilè ingrata deleri oblivione nõ debeant.Verum enimuero non ideo fit,quin homines ſitis,& hominum more nonnunquam faciatis aliquid. Quare oportet ea opera quæ Spiritu ſancto duce atq; authore perpetratis,ab ijs ſeparare quæ veſtra ſunt propria: illaq; cognoſcere,vt eorum nomine ingentes Deo (vt dixi)agamus gratias,eamq; imitari conemur:hæc vt eundem precemur Deum, vt ea qualia ſint vobis patefaciat, neq; in ijs perſeuerare vos permittat : nobis autem det vt ea prudenter declinemus. Sic aliud judicandum erat de Ionæ concionibus quas ad Ninivitas habebat, quæ à Deo erant: aliud de execrandis verbis,quæ

ipſi

ipsi Deo iratus dicebat. Quamobrem autem iratus? ô quam detestabilis res est hominis ingenium, si suum Deus subtrahat spiritum: quia, quemadmodum per ipsum Ionam comminatus ipsis Ninivitis fuerat, nolebat amplissimam eam vrbem delere: quinimmo perspecta eius populi pœnitentia parcere ei maluerit, quod quidem exemplum divinis ideo mandatum literis non est, vt eo legendo tantum oblectaremur, tempusq; falleremus ridenda inepta hominis insania, qui Deo ipsi in animũ induxerit irasci, ac mirum in modum: cuique videretur Deus tanta exercenda clementia haud sapienter facere, seque melius quid facto opus esset intelligere. Immò verò, vt sunt omnia ad nostram tradita institutionem, documentumq; sic exemplum hoc scriptum reliquit Dei spiritus: vt in eo quasi in speculo, qui nostri sint sensus, qualeq; nostrũ ingeniũ dispiceremus, quod cũ salutẽ adipisci aliter nequeamus, quã à sũma Dei misericordia, clementiãq; inpetratam, ita sumus affecti: vt hanc clementiam, atq; misericordiam quisq; sibi tantum habere velit, ac paucis quibusdã quos diligat: in cæteros autẽ omnes vellet Deũ summo iure agere, severe, crudeliterque. Ac qualem quidem videre Deum vellet, talem nimirũ

se ipse gerit. Quinimmo proditum est literis hoc exemplum præcipuè, vt vobis documento esset, qui Dei agitis internuncios ac legatos, quorum proprius hic sensus esse solet. Non sane quasi deteriore vos sitis ingenio quam alij: sed quia in vobis officij vestri opportunitate, nisi magna spiritus vi reprimatur, magnis prodat sese, vt intelligeritis, vestros sensus cum Dei natura nihil habere simile: itaq; vestro munere exercendo haud eos duces sequendos putaretis, sed Dei præcepta: discerétisq; eius exemplo, qualem se ipse præstitit erga Ionam: talem se quisq; vestrum erga eos omnes genere quia à rectis institutis deflexisse videbuntur. Ac videte vt deflecteret Ionas, cui Dei non satisfaceret iudicium, qui suum præferret, & ita præferret: vt ipsum in Deum excandesceret, est ne quicquam quod vel cogitari possit sceleratius? Non ne illud erat puditissimam suam stultitiam immensæ Dei sapientiæ præferre? Sed vbi sunt tamen convicia, probraq; tanta dignæ arrogantia? *Non tu* (inquit Dominus) *vehementer es commotus?* Quasi diceret: Quid hoc rei est, Iona? Mihi ne tu succenseas? Nec que in mentem veniat, quis tu sis, quis ego Mecum igitur tibi agendum putas, perinde atque cum homine quopiam æquali tuo

A

An neſcis me cœli, terræ atq; omnium quæ ijs continentur eſſe opificem? Me ea omnia ſumma adminiſtrare ſapientia? Hanc meam ſapientiam nullis terminis, nulla menſura contineri longiſſimè ſupra omnium poſitam cogitationes: cum tu perſæpe ne intelligas quidem vbi tuum figas veſtigium? Itaq; cohibe ipſe te, ac quid facias cogita. Hic nullum eſt convicium: nulla contumelia: ſed potius ſumma quædam lenitas. At quam init deinde rationem, vt Ionam in ſuæ agnitionem perducat amentiæ: ſiue cucurbitam, ſiue hederam creſcere facit, quæ Ionæ tuguriolum opacaret, *cumque magnam ex ea Ionas cæpiſſet voluptatem, vermes qui eam perderent immittit*: vt cum Ionas doleret rei nihili iacturam, quæ vna nocte nulla in eam inſumpta moleſtia, nullo labore creuiſſet, eo exemplo eum doceret, quam gravior fuiſſet ſibi cauſa tam amplæ civitatis excidium dolendi, *in qua eſſent præter iumenta, ſupra centum viginti milia hominum, qui ne dextram quidem à ſiniſtra diſcernerent.* Non igitur ei inſultat: non eum convicijs obruit: quod plerunque facere vos ſoletis: ſed dexteritate maxima ei ſuas patefacit ineptias. Quod ſi Deus ſic ferre hominem poteſt non ſe homines ferent mutuo, nemo cum Iohn 4.

sit qui non aliquo teneatur errore, qui non suo laboret morbo, qui non aliena & ipse opus habeat mansuetudine, clementia ac misericordia? Taceo quod nonnunquam aliquis alterum magna animi indignatione insectetur, contumelijsque afficiat, qui cõtumelijs illis multo ipse sit dignior. Non frustra etiam quo loco Dominus respondet Petro, non ad septies, sed ad septuagies septies ignoscendum esse peccanti fratri, similitudiuem adijcit eius servi, qui cum à rege suo debiti decem milium talentorum liberationem impetrasset, mox in conservum suum qui ei centum denarios deberet sævire non dubitaret: ad vos enim potissimum pertinere hoc exemplum præcedentia facile declarant: Ex quo dicendum vobis est, vt extenuetis apud vosmetipsos multitudinem, magnitudinemque delictorum quæ vobis Deus condonaverit, tamen, si cum peccato aut errore quem aliquando in altero tam acerbe insectamini vestrum quo Deo obstricti eratis conferatur debitum: eandem proportionem fore, quæ sit inter decem talentorum millia, & centum denarios. Quod exemplum profecto ad frangendos tantos quorundam spiritus aliquam habere vim deberet. Quæ cum vos vestra sponte non satis

tis animadvertisse videamini, ægre ferre non debetis: quinimmò magnas Deo gratias habere, agereque, quòd ea alicui patefecerit qui vos amanter moneret: non vt vllo modo vestram inquinaret famam, sed potius vt vos ista vestra minimè laudabili consuetudine valere jussa, aliam quæ magis vestris digna esset personis, cum cæteris maximis vestris laudibus conjungeretis: itaque fieret, vt in Dei regno ejusmodi essetis lux: vt nullum vestrum factum, nulla actio indigna quam posteritas omnis imitaretur, notari posset. Quòd si is quem ad vos monendum excitavit Dominus, haud ea est vel nominis celebritate, vel authoritate quæ videri in eo posset necessaria, qui magnos in Dei ecclesia viros moniturus esset: cogitate quam non sit hoc novum: vt Deus ad maximas quasque res gerendas contemptissimis vtatur hominibus. Quæ facinora patravit Deus per Apostolos? Sed quales homines? Quam magnus autem vir fuit Moyses? Sed is tamen soceri sui hominis alienigenæ, ac nullo pacto sapientiæ nomine cum eo conferendi opus habuit consilio: Quod cum datum ei esset, adeò non contempsit, aut minui in eo dignitatem suam arbitratus est, vt humanissimè probaverit, vsusq; eo fuerit. Reprehē-

dit

dit etiam Iudith & fœmina,& juvenis Hierosolymitanum senatum : neque tamen ille id ad vllam suam revocat ignominiam: quinimmò humanissimè aures ejus præbet monitis, obtemperatque. Proinde si vos eam assequi laudem non potuistis, vt vestra sponte quæ oportuit, vitaretis: quia videlicet homines sitis, non dii : saltem cavete etiam atque etiam ne ea quæ proxima est,effugiat: quaque nulla fortè in hominem cadere potest major : videlicet vt vestra cernatur modestia, qui rationi, per quemcunque patefiat, ac quantacunq; sit nominis vestri authoritas, parêre lubentes velitis; vtque cor habere non lapideum, sed carneum videamini. Id tam decet vos facere, quàm quod maximè: quippe qui lux sitis mundi,in quos omnium sunt ora, oculique conversi. Neq; verò omnem ego verborum damno acrimoniam sublato omni personarum, rerum, loci temporisq; discrimine. Sic enim & Ioannem cognomento Baptistam reprehenderem, qui Pharisæos quosdam viperarum progeniem appellaverit, & Dominum ipsum qui idem hominum genus tam duris, atrocibusque aliquando acceperit verbis. Sed hoc tamen contendo,magna graviq; ac maximè certa causa opus esse,vt eò veniatur. Vt exempli gratia

gratia, compertum habeatis errorem esse, ac magnum eum quem oppugnatis, & authorem perverso pertinacique esse animo, qui ne agnitæ quidem veritati velit acquiescere. Verùm vt propter quemlibet vel leviſſimum lapsum, nisi quis ad primum quodque verbum vobis cedat, ac prostratus quasi deos quosdam colat, excandescatis, ad probra, & maledicta veniatis, morbum reddatis incurabilem, ad sectas constituendas homines adigatis, summa imis æquetis: nonnunquam etiam hæc faciatis, cum vos hallucinemini, non ii quos insectamini: quis ferre possit? Quis etiam, cum vos videat quasi indoctos medicos ad omnem morbum idem semper ministrare medicamentum: quis (inquam) non maximè stomachetur? Vultis quod res est, dicam? Dicendum omnino est, vt demittatis animos, vt magna patientia eum audiatis qui vobis videatur sapientia eruditioneq; multò interior: vt expiscari velitis quænam illæ sint decipulæ quæ rudi ineptoque, sed tamen fortè arroganti cuipiam ingenio fucum faciant: vt excogitare velitis rationes adeò apertas, conspicuasq; vt quibus cum res est errores suos videre ac palpare possint: hæc, inquam, vt faciatis, magno conatu naturæ resistatis oportet, quæ

minima

minima quaque re commovetur, impatiens est, & ad injuriam maximè prompta: ac proinde ægrè contineri intra modestiæ, humanitatisq; limites potest, invicta quadam opus est patientia, magnaque vi spiritus. Vt merito hoc dici angustum possit ostium. Vt autem ad iras, ad insultus, ad probra maledictaq; veniatur, humano quidem ingenio haud opus est calcaribus. Neque sanè ei vt obtemperes, magna est opus industria. Quod adeò verum est, vt etiam si hanc quam nos laudamus lenitatem adhibere institueris, acerbitatemq; vitare, tamen nunquam tantum depositurus sis ferociæ, quin adhuc plus satis retineas. Quòd si naturæ per se præter modum feroci etiam calcaria addiderimus quod ejus sit, Spiritui sancto tribuentes, nobisque in eo blandiamur, quonam res evadet tandem? Profecto necesse fuerit pulcherrimum instauratę Ecclesiæ ędificium denuò ruinam facere irreparabilem. Videre est autem, si quis bonum aliquem in finem facere se somniet id, in quo tamen suis indulgeat cupiditatibus in eo nullas esse metas, nullas leges quibus sic fucata coerceatur libido. Ita Romani Pontifices cùm suum splendorem, opesq; ad Dei gloriam, optimumq; Christianæ reipublicæ statum pertinere

tinere arbitrarentur, ipſimet ſibi in eo fucum facientes: tantæ illis indies accenſiones factæ ſunt potentiæ, dignitatis, faſtus, vt potentiſſimis quibuſq; regibus, atque Imperatoribus eſſe poſſent invidiæ. Cui libet quæ maximè miretur videre, perlegat librum cui titulus eſt Ceremoniale Romanum, non ita pridem Coloniæ Agrippinæ excuſum. Ibi videbit qua pompa Romanus pontifex ſolennem celebret Miſſam: qua pompa ſolenne convivium, qua pompa ſolenniter equitet: vt ſi Deus humana forma inter homines regnaturus ſit, moreque hominum pro dignitate ſua pompa vſurus: quid jam pro eo cogitari poſſet majus, relictũ videatur nihil. Vna ex re qualia ſint cætera conjectare liceat. Etenim inter alias leges & illa eſt: vt ſi, quo tempore pontifex ſolenniter equitat, rex quiſpiam adſit, aut ipſe etiam Imperator, illi etiam obeundum aliquod ſit munus. Sed quale, obſecro, munus tamen? Fortè vt ſua tum ſapientia, tum authoritate omnia decenter fieri, ac concinnè pro fabulæ dignitate curet: & certè vt ſecundum eum primum obtineat locum? O indignum facinus. Quis credidiſſet? Immò verò pontificia illa lege. Imperatoris munus fuerit, vt pontificem quaſi pedeſter famulus à latere comitetur.

quod

quod fecit in Constantiensi concilio Sigismundus, cum pontificiam coronam obtinuisset Martinus Quintus: quid addi vel cogitatione ad tantam possit superbiam? Ita si qui videantur tibi Christi rem agere, ac Dei gloriæ inservire quibuivis quacunque ratione insectandis: cum interim id ad eorum pertineat vel commoda, vel dignitatem, vel studia, nihil tam acerbum, nihil tam sævum, nihil tam crudele, aut atrox excogitare possunt, quin eis lenitatis nimium habere videatur, & clementiæ: adeò vt mentiri eorum in fraudem quos exagitandos, aut conficiendos putant: eosq; maximis, & iniquissimis quibusque calumniis onerare multo eis res sanctior videatur, quàm si vlla alia in re verum dicant: atque horum vni cuipiam vitam eripere, quàm plurimos alios vel eorum ipsorum quibus favent, servare incolumes.

Ficta plurimorum in Deum fiducia, ac etiam gratitudo.

Persimilis suprascriptæ alia quædam accidit tum collocanda nostra quacunque in Deum fiducia, tum agnoscendo quicquid adepti fuerimus beneficii authore prævaricatio. Sit enim quispiam rebus necessariis ita instructus, vt vivat commodè, sive ex fundis suis, sive ex arte, aut mercatura sit hujus vita honesta, mores qui bonum virum deceant, religionem amet, cœtus frequente

quentet, conciones audiat, Deum tam publicè quàm privatim vocet: denique ea præstet omnia quibus commendare non indiligens obſervator pium hominem poſſit. Neque verò ſimulatè ille ſe quicquam arbitretur facere. Hunc igitur ſi ita interroges: Vnde nam iſte tuus eſt victus? à tuiſne fundis? Quid (inquiet) à meis fundis? illi quidem mei citò eſſe deſierint: niſi efficeret ſua ſumma bonitate Deus, mihi vt eſſent ſalvi. Neque verò mei etiamſi eſſent, alere me poſſent, niſi idem mihi fructuoſos eos redderet. Perbella verò ſanctaque oratio; cui fortè addiderit inſuper, dixeritque: ne eum quidem panem quem jam paratũ domi habeat, immò quem manu teneat, alere ſe poſſe: niſi dederit Deus eo frui, atque ali vt poſſit: itaque petendum illum nihilominus eſſe etiamnum. Hujuſmodi verbis quid cogitari poſſit vel ſanctius, vel religioſius? Nihil (inquis) ſi modò nihil habeant fictum, ſed hominis ſenſum bona fide exprimant. Fac hominem illum haud aliter loqui, quam ipſe ſibi perſuaſus eſſe videatur. Quid ſi nihilominus aliam re vera hominis eſſe fiduciam docuerimus: aliam eum ſibi præter omnem ſuam exiſtimationem fingere? Difficile (opinor) factu videatur: ſed certum eſt tamen experiri. Age igitur

igitur hanc ingrediamur viam: eripiamus huic pio homini bona, artem omnem lucrifaciendi, amicos, hominum omnium societatem: denique quicquid Deus non est: constituamusque eum in deserto quopiam loco, procul ab oppidis, pagis, omniq; hominum commercio cum sola conjuge, ac filiolis quos vnicè diligat, sine vllo commeatu. Audiat clamantes filiolos, panemque poscentes: quid faciat hic noster cum solo Deo relictus? Cœnæ (opinor) tempus patienter expectabit: quod cum venerit, Deum precabitur cibum sibi vt suppeditet: aut fortè etiam majusculo filio de more id delegabit muneris, certus non minus divitem ac liberalem hîc fore Deum, quàm domi cum esset expertus eum fuerit. Hei mihi quàm vereor ne hic multò videatur alius, vt videlicet exanimatus ægrè spiritum trahens magnis gemitibus petiturus à Deo sit, ne se deserat. At quid hîc sibi volunt isti gemitus? Domi quidem quum esset: haud habebant preces hunc gemituum comitatum. An veretur fortè ne non tam habeat hîc in deserto Deus quod suppeditet: quàm domi quum esset? Aut minusne factus est bonus Deus nunc, quàm erat paulo antè? Vbi pristina illa tam firma, tamq; tranquilla fiducia? Quî fit vt non eadē hîc

si

sit quæ domi fuerat? Idem certè Deus est. res quidem hîc loquitur ipsa: domi quum hic noster esset: quæ fiducia videbatur in Deo posita, rerum quæ aderat, innitebatur affluentiæ penè omnis. Sed quòd homo eam se habere in solo Deo positam putaret, non nisi præstigium quoddam erat, ac somnium. Deo videlicet fidebat (quod vulgo dici solet) accepto pignore: dum aspiceret Deum in penu, in horreo, in cellis, abundè fidebat ei; is postquam corporeis ab oculis subduxit sese, vt jam nonnisi animo cerni possit: multò alia res est. Hinc igitur illæ lachrymæ, atque illi gemitus: huiusmodi autem exemplo, sive similitudine discere possumus, quod dictum est à Domino. *Si tantum fidei habueritis quantum est granum sinapis, si dixeritis huic monti, Migra istinc illuc* migraturum: haud ita accipiendum, quasi in verbis excessus quidam sit, qualis in illis intelligi possit Ioannis quibus dicit: *Si literis mandarentur singillatim quæ fecit Iesus omnia, fore vt ne ipse quidem mundus tot libros qui scriberentur capere posset*: sed accipiendum, vt verba sonant: nostram enim fidem, vel cum maxima videatur, si ab iis omnibus abducantur oculi, omnisque cogitatio quæ Deus non sunt, tam exiguam esse, vt perci-

pi vix possit. Maximè autem prodest hîc non hallucinari: ne cum abundare nos eo opinemur, cujus maximè simus inopes, nom ea animi intentione qua oportet, id nobis tribui petamus.

Quàm parùm autem ponere in Deo fiduciæ solemus: tam parum etiam, quicquid assequamur, illi acceptum ferimus: quodq; fit in rebus ad vitam necessariis, idem fit aliis in rebus omnibus. Quis enim nostrûm est, qui quantulamcunq; habeat cum cæterarum rerum, tum præcipuè divinarum scientiam, non ea sibi videatur Deo acceptam ferre: atque illum se ejus adnoscere doctorem? Verùm si tam commodè hîc atque superiore exemplo ab omni re abducere cogitationem possis quæ Deus non sit, palàm fieret, adeò exiguam hujus honoris partem nos Deo tribuere, vt percipi vix, ac ne vix quidem possit. Verbo quidem Deum fatemur authorem: nec sane simulare nobis videmur: sed interim nostrum ingenium, vigiliæ, labores, libri, doctores sunt ante oculos. Vt si à calce ad carceres simus revocandi, ac erepta nobis scientia de novo acquirenda sit: sed ita, vt ista nobis desint præsidia, solus nobis Deus à quo eam impetremus, ejusque oracula relinquantur: nescio quàm certam simus

spem

ſpem ejus adipiſcendæ habituri. Hujuſmodi ex diffidentia manant omnes illæ proviſiones, quas excogitare homines ſolent ad conſervandam, quominus depravare eam queat poſteritas, doctrinæ puritatem: eas dico proviſiones, anxiè citra vllum Dei mandatum ſua humana prudentia comminiſcuntur: quas profectò miſſas facerent, ſi ſeriò perſuaſum haberent, Deum harum eſſe rerum diſpenſatorem: perpetuò vivere, atque excubare ejus ſpiritum: vt eas cuſtodiat, & ab adverſarii artibus inſidiiſque tueatur. Sed cum præſidium ſibi in ſuis collocent inventis: velit autem Deus quàm inepta omnia noſtra ſint conſilia, conſpicuis docere experimentis: fit, vt ſua ſubtracta tutela, nos ſinat noſtro Marte cum ſatana bellum gerere: hoc eſt quamprimum ſuccumbere, atque vt meriti ſumus, perdi. Si omnis ſapientiæ Deum verè agnoſcemus authorem, nequaquam talia legerentur vſquam verba: Niſi à nobis didiciſſent, ne verbum quidem de Evangelio facere poſſent. O bone vir, nunquam non tibi in manibus eſt Evangelica hiſtoria, neque ſuccurrit illud verbum, *Si hi tacuerint, lapides loquentur*? Sanè tui fuit ingenii, vt ſanam Evangelii intelligentiam aſſequerere: tuque vnus ex

omnibus natus es, qui facere id posses: ita est: nisi tu fuisses, pro humani generis salute nihil erat spei reliquum: igitur tam præclaro in facinore restauratæ Ecclesiæ Spiritus sancti nullæ partes fuerint: tibi ergo vni acceptum ferri oporteat: tibi omnis debeatur gloria. Quòd si illud Dei opus fuit, si ejus contigit munere, vt veritatem aspiceres: annon æquè cuique alii aperire Deus oculos potuisset atque tibi? An ille fortè tuo ingenii acumine indigebat? Aut
1 Cor. 14. tibine quid debebat plus quam alii cuiquam? Quid est igitur quòd dicas, Nisi à nobis didicissent, ne verbum quidem de Evangelio possent facere? Sed ne illud fieret, vt quicquid in lucem prodeat quod ex tua non exierit taberna: quasi propterea satis certum sit, nisi malum esse non posse, protinus in animum veniret cogitare: aha, quid novi excogitavit satanas? Neque te, re nondum cognita, præceps objiceres. Quin potius ita cogitares cum animo tuo: Dominus quidem perbenignè mecum egit, qui mihi plurima, eaq; admodum præclara patefecerit: quid si huic quoque patefecit aliquid, quod me adhuc celaverit? petamus à Domino, vt si ab ipso sunt quæ hic dicit, det nobis vt & nos grato reverentique assequi ea possimus animo. Sin humana

mana sunt inventa, ac proinde à vero aliena, det nobis vt tanquam vana, nulliusque precii contemnamus: neque patiatur ea in nostros illabi animos. Quòd si ita se res habet (vt certè habet) vt nisi tibi Dei spiritus illuxisset, non plus videre tu potueris, quam quivis alius: & eo beneficio tam alium quemvis prosequi potuerit, quam te: tum autem illi perinde facile sit, quicquid vult, siue hunc, siue illum docere absque vllo discrimine, neque tibi quicquam debuerit magis, quam alij cuiquam: qui fit vt ad contemnendum quicquid ab alio proficiscatur, tam sis proclivis, vt protinus suspectum habeas? Immo vero vt pro damnato habeas? Teque omnino re in comperta obijciendum putes? Neque tanta vti potes patientia, vt auscultes prius: atque perpendas? Profecto non alia causa est: nisi quod tuo ingenio, iudicio, vigilijs quidē omnia tribuas. Quoniamq; tibi instar es phœnicis cuiusdam, cum quo conferri nemo possit, necesse est tibi cuiusuis contemptui esse ingeninm. Quoniamq; in locum incidimus cognitu valde quidem necessarium, operæ precium fuerit, paululum hic insistere,

Contingit temporibus alijs, & nostra etiam ætate, vt inter viros quorū spectata esset

non tam eruditio, quam pietas, interceſſerint de religionis doctrina controverſiæ: atque adeò nulla coire facilè potuerit cõcordia: vt potius indies lites increbuerint, recruduerintq; magis ac magis, quid ergo hîc dicendum eſt? Vbi idem tum aſſeritur tum negatur, vera dici vtrinque non poſſunt: vt alteram partium errare neceſſe ſit. Quid (inquam) de ea quæ erret, dixerimus? Nunquamne eam ad Deum confugere, qui ei opem ferat, ſuumq; impertiat lumen: vt rectè eo duce judicare de rebus poſſit? Veriſimile id quidem non eſt: immò verò conſtat in fieri, ſi non alibi certè publicis in precibus; quid ergò? Fortè non ſtat Deus promiſſis dando petentibus ſuo ſpiritu? Ne id quidem fieri poteſt. Quid deniq;? An iſti abſq; fiducia petunt? Abſq; maxima fortè fiducia fieri poteſt ſed prorſus abſq; vlla, credibile non eſt: ac mirum eſt tamen, eos veri lumen nunquam impetrare. Profectò huius rei alia cauſa eſſe nulla poteſt, niſi quòd tametſi lumen ſpiritumque à Deo poſcentes agnoſcere videantur ſe illo carere, atque opus habere, re vera tamen id non agnoſcant. Quin immò in ea eſſe videntur perſuaſione, occulta illa quidem, ſed maximè tamen firma, atq; conſtante: vt tantum ſe jam pro-

feciſſe

feciſſe arbitrentur, vt errare amplius non poſſint, neque quicquam quod præterea diſcant, ſuperſit, ſaltem certè hominis cujuſquam ope adjuti. Hinc illà ſunt verba quæ de quopiam narrantur: Huc niſi diſcendi cauſa nemo intret. Præclarè. Annon hic videbatur non tantum guſtaſſe aliquid de arbore ſcientiæ boni ac mali: ſed ipſam planè arborem totam, quanta quanta erat, devoraſſe? Huic quidem qui iam Dei ſibi eſt inſtar: idque à Deo petit quo ſe abundare affluenter arbitratur, quem ſpiritum, quod lumen dederit Deus? Fieri etiam poteſt, vt petant iſti quidem, verùm non rei, quæ in controverſiam venerit, gratia: quippe quam ſe certiſſimè cognitam habere arbitrentur, ſed generatim rerum omnium gratia: neque tam quia intelligant quicquam ſibi deeſſe, quàm inveterato potius quodam vſu verba non tam corde attentè, quàm lingua perfunctoriè pronunciantes, quodq; faciunt ſuper vno puncto in controverſia poſito, idem facerent ſuper quocunque alio quod deinceps vocaretur in dubium. Quo fit, vt tametſi iſti in vniverſum opus ſe habere majori lumine videntur non diffiteri: venire tamen tempus nequeat, quo tempore præſenti quapiam in re eo ſe carere intelligant, ac propterea

pterea aliqua id petant animi intentatione. Huiusmodi porro persuasiones à primis nostris parentibus hæreditate accepimus: quippe qui ad arrogantiam, ad superbiam temeritatemque simus nati. Accedit autem eò, quod homo in rebus omnibus huiusmodi vtatur industria, vt si quid obseruauerit frequenter certo quodam modo fieri: neque vnquam accidere aliter animadverterit: coniecturam faciat, id semper ita contingere. Quare, cui aperti oculi fuerint, vt multos discernere erorres posset tam antiquos, quàm recentes, de omnibus se eodem modo absq; vlla erroris suspicione iudicare se posse sibi persuadet. Cumq ;ea coniectura eadem capta ratione quæ omnibus in rebus capitur, eò pertineat quo suapte natura homo maximè fertur: ad eius videlicet laudem, dignitatemquè: videri mirum non debet, si altissimas firmissimasq; in animo radices agat. Quòd si aliqua etiam accesserit popularis aura (vt deesse quidem non potest)quasi hominis diuinę sapientię certũ firmumq; testimoniũ: id verò sit(nisi diuina in tẽpore occurratur prudentia) hominem prorsus in sui opinione dementare. Sed quid de populis dixerimus? ô rem prorsus admirabilem. Excitabit Deus hominem qui in quibus

versentur

versentur erroribus, eis ostendat: omnisq; eius hominis oratio eum habuerit ingressum, quod fidendum hominibus non sit: quippe qui tum fallere, tum falli possint, quinetiam plerunq; & fallantur, & fallant: immo vero ne mmltum quidem tribuendum vniversi populi iudicio, neque multarum simul nationum neque multarum ætatum, quia falli nihilominus, si fidem adhibueris, possis: vnam autem esse Dei vocem cui tutò absque vlla erroris suspicione possis acquiescere, qui tandem divino illi homini aures præbebunt: quid facient? quid? Pape, inquient, hic qui ab hominibus in solum Deum omnem nostram transferre vult fiduciam, soli Deo fidem adhiberi, sanctus vir, piusq; sit necesse est. Quam hic, hic dignus est quem sequamur: huic tutò plenam possumus fidem adhibere: huic possumus fidere: non illis qui seducere nos, suam vt rem agerent, solebant. & sic cum & cogitent, & dicant, videntur tamen sibi recto sancti hominis consilio obtemperare, fidem suam ab hominibus in Deum transferentes neque animaduertunt se eam ab hominibus in hominem transferre: cuius haud talis erat oratio: Ne illis aut illis hominibus fidem habeatis, qui tantùm humana

mana vos docent inventa: sed mihi qui vos non nisi divina sum docturus, sed hæc, ne vllis credatis hominibus, cumq; & ipse homo esset: ea lege ne ipsi quidem credendum erat, nisi quæ attulisset, conspicuis confirmasset divinarum literarum documentis, sic enim non tam ei credidissent, quam multo magis divinis illis quæ attulisset testimonijs. Quod si hic vir errores omnes qui essent in ecclesia videre nequaquam potuit: aut in novos forte incidit aliquos (quod quibusdam contigisse constat) populus, cum eisdem fere rationibus adductus, quibus vir ille in nimiam sui fiduciam illapsus fuerat ex eo Deum sibi fecerit: iam aures quibus eos audiat, qui vel latum pedem ab eius dogmatibus declinare velint, non habeat. Quod si quis obijciat ei, non esse vni cuipiam homini, quisquis ille sit, tantum tribuendum, quin eius omnia dogmata Dei verbo indicanda sint: ita eundem ipsum docuisse quem sequatur, nihil proficiat. Quanquam enim nihil iam audire possit præter doctoris sui decreta: nunquam tamen efficies, vt se vni homini totum initi, non Dei verbo assequatur. Sed hoc adhuc nihil est. Sit alius quispiam qui primi illius lapsum aliquem animadverterit: eius notauerit morositatem,

tem, nimiamq; sui fiduciam: sed & populi hallucinationem, qui cum videatur sibi ab hominibus in Deum suam transtulisse fidem, ab hominibus in hominem transtulerit: expertus etiam fuerit, quantum ea res habeat incommodi: quare summa omnia fecerit, vt eum populum ab eiusmodi quasi fascino quodam liberaret, aditumq; ad eum veritati patifaceret: deniq; ostenderit suis hæc omnia: & ita ostenderit, vt illi nihil mirentur magis, quam erroris vim illam tantam. Sed quid tandem faciat ipse? multo opinor prudentius cavebit videlicet, ne quod in alio damnauerit, idem ipse admittat, suos monebit ne sibi plus adhibeant fidei, quam par sit se hominem esse, propterea q; errori obnoxium immo vero fieri vix posse, quin multa ignoret, itaq; eatenus tantum sibi fidem habeant, quatenus ex divinis literis certa perspicuaq; testimonia attulerit, si quem autem animadverterit se nimio in honore habentem, obiurgabit eum: vt fecerunt Paulus, & Barnabas, quum eis divini offerrentur honores. Heu, quicquam ne horum faciat? Nisi magna cogat vis spiritus: caue tibi persuadeas. Immo vero & ipse cum se esse arbitretur qui omnia noverit, qui errare

errare nequeat, in quem Deus immensos
suæ sapientiæ thesauros ita effuderit, vt
quod alij tribuere possit, nihil sibi reliqui
fecerit: qui denique sapientia ipsum æquet
Deum, quare claudere cœlum volet, ne
vel gutta pluere amplius possit: nullam a-
quam patietur bonam existimari, nisi suo de
fonte fluxerit. Tametsi autem verbum ali-
quod excidat nonnunquam, quo mode-
stiæ aliquid præ se ferat: vt si rogaverit
quisquis, erroris aliquid suis in dictis aut
scriptis deprehenderit, se vt moneat: per-
gratum id sibi futurum, aut quid eiusmo-
di, si quando ad experimentum venien-
dum sit: iam videre liceat, verba illa non
nisi à summis labijs profecta fuisse, vt vt si-
bi forte videatur valde ea ex animo, ac serio
protulisse. Qui porro hunc sequuti fuerint,
ex eo tam ipsi sibi Deum facient, quam alij
fecerant expriore; & qui hoc mirabuntur
stupore maximo, quasi cogitari nihil possis
absurdius, tandem tamen & ipsi idem faci-
ent, aut multo etiam peius: tanti est nego-
tij homini cuiq; non aut alium quempiam
hominem, aut se ipsum Dei in locum col-
locare: cum tamen nihil minus se facere o-
pinetur. Atq; hæc quidem mihi occurre-
runt exempla quibus contingere ostende-
rem, vt aliud quis ageret, aliud sibi videre-
tur

tur agere, in alio positam haberet fiduciam, in alio eam se habere sibi persuaderet in dignoscendis suismet cogitationibus, mirum in modum cæcutiens. Atq; haud scio, an aliud quiddam addendum sit, quod illi ipsi qui de Christiana religione differentes sola Dei gratia propter Christum salutem hominibus contingere fatentur: collocanda deinde sua fiducia vix possint à sua dignitate, suisq; meritis oculos deijcere, cuius rei suspicionem illud mihi inijcit: partim, quod naturalis hominis sensus deprimi se ægerrimè patiatur, suæq; laudi, ac gloriæ impensè studeat: partim quod videam, cum tanti sit negotij ad Evangelicam normam citra fucum vitam instituere, adeò procliuem esse hominem ad comminiscendas sanctimonias alias, quibus ipse sibi placeat, vt colligendis (quod paulo ante dicebamus) aliorum peccatis, ijsq; seuero supercilio damnandis, multis, admodumq; verbosis ferendis de Evangelio sermonibus, atque ijs qui paulum de spacio curriculoq; receptæ doctrinæ deflectunt, insolenter tractandis, & in corporis cultus omnis neglectu, & id genus rebus alijs. Nam de Pontificijs qui tot æternæ vitæ lucrifaciendæ rationes excogitaverint, mirũ non est, apud quos palam ea iam invaluisset opi

nio,

nio, quod ſuis bonorum operum meriti
ſervari quemlibet oporteret. Quinetiam
vehementer ſuſpicor, quamplurimos pa
rum animadvertere, longe aliam eſſe rem
de religionis doctrina diſſerere, ac dicere
quod fide & gratis obtineatur ſalus: atqui
ita perſuaſum eſſe, aliud de ſua quenq; ſpe
privatim conſtituere, perſuaſumq; haben
quod ſibi Deus propter Chriſtum ſua con
donet delicta, ac ſe in filium benigne accep
tet. Cum fieri abſque dubio poſſit, vt qui
vnum quidem pro comperto habeat, a
de eo diſſerere luculenter poſſit: alterum
ne ſummis quidem labijs guſtaverit adhuc
Quo fit fortaſſe, vt non pauci circa ſuam
met ipſorum fiduciam hallucinentur, eam
ſibi fiduciam vendicantes cuius guſtum
nullum habent. Atq; vtinam etiam horum
non nimis magnus eſſet numerus. Quo mi
nus porro ratione vlla earum quas adhuc
recenſuimus hallucinemur, vna propemo
dum cautio eſt, in quo lubricus ſit erro
non ſolum non ignorare, verum etiam in
promptu, meditatoq; habere. Quapropte
haud ſatis fuerit, hæc ſemel didiciſſe: quin
immo nunquam non volutanda animo
ſunt: ita, vt hinc ante oculos ſint iſti (oc
cultiſſimi quidem alioqui) ſatanæ laquei
illinc tuum vitæ genus, conditioque, & tu
um

um ingenium: tum autem quæ in tempora incideris, vt quicquid est eiusmodi in quo haberer possit pravus hominis sensus quod quærat, quod cupiat, quo oblectetur, quod amet, quod æstimet: etiamsi tibi is esse animus videtur, in quem nihil tale cadere posse putes, alius quo ducaris spiritus, alius scopus in quam tua dirigas consilia: caue tibi blandiare, caue tibi ipse facile fidem habeas, excute ipse te sæpe ac sæpius. Experieris enim non semel, quod iurasses, nihil esse præter spiritum: quid vis fuisse potius quam spiritum: ac si aliter olfacere quicquam potes: veniat tibi in mentem dolosi simulatoris cuiuspiam, aut avari, aut superbi, aut ambitiosi, aut invidi, aut vindictæ cupidi, sed tibi probè noti, ac cogitato ipse tecum, si quod tu meditaris, aut coneris aut facis, id ille fecerit: quam putas eius esse suspicareris mentem, quod consilium, quem sensum? Mox redito ad te, ac perscrutare perquam diligenter tui cordis arcana, num eiusmodi sensus in te vestigium sit vllum, ac si vllum vel leviſſimè impressum appareat, caue contemnas: sed perscrutare magis ac magis, invenies enim profectò quod miraturus sis. Quantique faciendum putas Dei gloriam, & optimum ecclesiæ statum, & sempiternæ vitæ

spem

ſpem, tam ſerio in harum rerum omnium verſandum tibi meditatione fuerit.

Qui fit ſcientes prudenteſq; multi peccent.

Vt autem ſciens, ac prudens in Dei legem committat homo, facit præcipuè deprauata primorum parentum lapſu natura in omnes homines diffuſa, omnibus in rebus; diuinæ legi prorſus inimica. Primum etenim haud illi ſatisfacit Dei providentia: quippe qui tum parum ſapienter ei facere videatur amplis opibus, atque imperijs ijs largiendis qui nec illis vti, neque hæc regere prudenter poſſint: tum parum iuſtè, qui ſceleſtos homines fortunet, deprimat bonos, eoſq; nefariorum hominum iniurijs expoſitos ſinat, neque vleiſcatur quamprimum eis illatas iniurias. Cumque vellet eum Deus ab humilibus huius vitæ rebus ad cœleſtia oculos attollere, atque in cœlo non hic cumulandis ſibi theſauris intentum eſſe: ipſe tamen hic totus hæret: hic commodè ſibi eſſe vellet: hic maximè, atque optimè ſe inſtructum ab ijs rebus, quæ non tam animo cerni, quam manu palpari poſſint. Iubet Deus eum ſuas omnes cupiditates abijcere, atque ab ſe evellere: ipſe autem multo mallet eas vel cumulatiſſimè implere. Exigit ab eo Deus in vicinum ſuum charitatem: ipſe ſui charitate metiri omnia multo mallet, ac de vicino haud aliter

iter cogitare, quàm vt eum sibi subijceret, & ad omnia sua commoda illo, eiusque rebus omnibus pro animi libidine tanquam rebus suis vteretur. Idemque fit in rebus alijs omnibus. Præter autem communis naturæ vitium, est etiam suum cuique proprium: quod tametsi cum communis naturæ depravatione est coniunctum: ideo tamen cuiusque proprium dici potest, quod alij ad alia maiore quadam vi, atque impetu rapi videantur. Quod si aliqua virtutis semina in homine sint, vt omnino sunt: fere videas, qui vnam aliquam participauerit aut alteram, aliarum expertem esse. Cuius differentiæ causas attigimus alibi, diversitate eiusmodi fit, vt si quis à rapinis, inhonestisque lucris abstinuerit, suæ nequeat imperare libidini, aut si hanc domuerit, avariciæ succumbat: si ab hisce vitijs vtcunque liber fuerit, decipiet eum superbia, aut aliud aliquod vitium. Præterea qui in humili fortuna, in afflictionibus magno fuerit animo, ditatus quum fuerit, timidiusculum se præbeat. Et contra, qui rebus secundis multas pietatis significationes dederit: quicquid adversi imminere videatur, animis concidet, neque defuerit qui aliquandiu quidem validissimè pugnet: verum tandem nimis diu durante

conflictu, velut haſtam abijciat. Plurimum eſt etiam in locorum temporumque opportunitatibus poſitum: magnaque vis eſt & irritamentorum, & illiciorum quæ nos modo in hoc, modo in illud facinus aut impellunt, aut attrahunt. Illud autem ad reſiſtendum vitio præter cætera negligentem hominem facit: quod non omnino perſuaſus ſit, tam infenſum eſſe Deum peccato, quam eſt, eumque vere illud vlturum eſſe, aliam vitam præter hanc eſſe reliquam: huius autem nunquam videtur ſibi homo viſurus finem vllum. Videat quotidie efferri multos: recordatur ille quidem mortis, differitque ea de re ſubtiliter admodum, & graviter. Sed eſt tamen ei neſcio quis genius in corde qui ei ita blanditur; nequaquam tam propinquum tuum fuerit tempus: non morieris: creſcat annorum numerus: decreſcant indies magis ac magis vires: neque ille malus genius vnquam deſinit longiorem pollicer vitam: neque homo aures ei patefacere: Videmur nobis quidem multò aliter credere: elegantiſſimaque ea de re noſtra eſt oratio: ſed humano ingenio nihil eſt ex rebus omnibus creditu difficilius. Quare hic laborandum eſt die noctuque, vt tandem frangatur hæc tanta noſtri cordis duritie

tities. Quanam autem potissimum re id effecerimus? Certe non alia quàm assidua, maximeque reverenti divinæ legis meditatione, additis ardentissimis ac nunquam intermissis ad Deum precibus. Cumque nunquam tantum nobis immineat periculi, quantum quum secundis vtimur rebus: fit, vt eo etiam tempore potissimum eiusmodi tum meditationibus, tum precibus sit opus. Certè autem nisi cum pia religionis doctrina vitæ coniunxerimus sanctitatem: futurum est vt & doctrinæ cogni- 2 Thes. 2.
tio nobis eripiatur, nosq; rursus in seductoris permittamur potestate, qui maxima nostra infamia extremoque exitio nobis, quicquid voluerit, imponat. Ac nisi tenebrarum illarum ex quibus vix dum emersimus, exemplum satis est ad nos deterrendum, equidem quid satis esse possit, non video. Est autem nobis enitendum dum stamus, ne cadamus: si quidem vbi semel refrigere cœperit disciplina, vix fieri poterit, quin sit posterior quæq; dies priore deterior: donec omnis aboleatur Dei timor, omnis pereat pudor, vt tandem vitium virtutis locum obtineat, virtus vitij.

Sed inter alia quæ hominum mores depravant, nescio an primum locum obtineant mala exempla, omnium quidem, sed eo-

rum præsertim in quos maximè conver
hominem sunt oculi: vt ecclesiasticorum
pastorum, aliorumque qui propter au
munera quibus funguntur, aut studia, au
ætatem: adde etiam, si placet, fortuna
sed certè qualemcunque externam digni
tatem, seu gravitatem antecedere alios pu
tantur sapientia. Optimum autem reme
dium ad conservandam morum disciplI
nam censenda est ecclesiastica censur
Quid ni enim esset, cum absque dubi
Dominum habeat authorem? Qua tame
in re cauendum diligenter est, ne qui
quam vel immisceat, vel habeat satanas c
suo. Ac duplex quidem finis in Domini in
stituto non obscure cernitur: quorum alt
terum assequatur siue admonitio fratris, s
ue censura: nempe, vt aut lucrifacias ipsu
fratrem, aut deinceps pro eo habeatur ct
cum Dei ecclesia nihil sit commune. Qu
loco habebantur olim extranei, & publica
ni. Itaq; fiat, vt eius dissoluta vita ad Eccle
siæ dedecus, vel doctrinæ divinitus tradit
transferri nequeat. vt nemo putet se imita
ri eum posse sine suæ salutis contemptu
itaq;, vt nocere ille suo exemplo nequea
sed prosit potius. Quid porrò harum rer
gratia fieri Dominus velit, minimè obscu
rum est: quem enim offenderit frater mal
aliqu

Conservandæ morum puritati utilis Ecclesiastica Censura.

Math. 28.

quo exemplo, ab illo vult corrigi, remo-
arbitris; qui si eum audierit, lucrifactus
erit: sin minus, vult adhiberi vnum aut
erum testem: si nec illos audierit, vult
nificari ecclesiæ: quod si tandem neque
clesiam audierit, pro extraneo & publi-
no haberi vult, Quæ quidem sunt eius-
odi, vt si cui vel minimum sit spiritus ni-
planius videri possit. Verum inveniſſe
men videtur satanas in scirpo nodum,
m si correptus quispiam negasset se,
uod ei objiceretur, admisisse: advocasset-
ue monitor testes quibus præsentibus,
d facti quod objiceretur ignaris, denuo
rriperetur, ac ne sic quidem culpam ag-
oviſſet, ideoque ad ecclesiam ventum es-
t, non defuerunt qui talibus testibus con-
nci eum vellent. Quod profecto valde
irum est, in cuiusquam potuisse mentem
enire: Nam cum reus non neget se cor-
ptum: sed illud neget, iustè correptum
fuisse: quis non videat testibus opus esse,
ui eius ipsius facti certam habeant scienti-
m, quod est in controversia: non eius
uod nemo neget? Contingit etiam non-
unquam, vt arguatur aliud in quo quic-
uam esse peccati qui arguitur, non intel-
gat, ac nisi agnoscat culpam, censura no-
ndum hoc est (quemadmodum loquun-

Sed in ea excenda multæ fraudes impuri genij

tur) excommunicandum putent. Quo
vlla ratione fieri, equidem non assequo
Ergone cum me peccasse non intelligar
mentiri cogar, linguaque eam culpam a
noscere, quam cor non agnoscat? Neq; s
tisfit, si eatenus obtemperem monen
bus, vt ab eo quod licere negant, abstin
am? Quis, quæso, vsus fuerit vnquam
ecclesia simulationis eiusmodi? Si pot
doce me, non fuisse mihi eam rem libera
sin ea mei est ingenij tarditas, vt asse
id nequeã, vbi tua est charitas qui mes
nfirmum nequeas? Immo etiam quid
vult ista peccati agnitio? Quo eam, quæ
iure exigis? Profecto enim Domini ve
illa. Si te noluerit audire, non id signific
videntur. Si peccatum agnoscere nolue
sed hoc potius. Si parere, id est si abstin
deinceps ab eo quod reprehenditur, n
erit. Quod cum non recuset facere: q
est quod requiras præterea? Neq; vero
finem cuius gratia fieri debet admoni
quicquam facit peccati agnitio illa, di
forte possis: in quo delinquatur, si fiat
liberum duci non oportere. Quid tum;
propterea id eũ testari oporteat, qui n
dum sit persuasus ipse? Egregium verò
stimonium, & dignum cui nemo no
dem adhibeat. Quod si ne hæc quidem

nea est causa propter quam talis exigatur agnitio, quorsum ergo exigitur? Profectò alia non supereſt, quam vt correptoris sit consultum dignitati: ne scilicet videatur frustra corripuisse, aut vt victoria quoquo modo potiti videantur qui præsunt: atque vt eorum formidabilis reddatur authoritas. Huc enim certè aspirat hominis ingenium: etiamsi nonnunquam nihil minus videatur sibi habere in animo. Quicquid sit, indigna certè est Christiana lenitate hæc conscientiarum carnificina.

Pœnitentia publica nec necessaria nec vtilis.

Ac quoniam, si peccati ecclesia motum pœnituerit, ei Dominus ignoſci vult: idque faciendum non videtur, nisi pœnitentiæ idoneum extiterit signum: hoc signum interpretantur plerique omnes, vt culpam publicè deprecetur: & publicam id vocant pœnitentiam. Tantaque veterum fuit severitas, vt aliquos non plenè restiterent, nisi ad multos annos in illa pœnitentiæ significatione perseveraſſent; nonnullis ad vitæ finem vsque indicebatur pœnitentia: in quo videre licet quam benè memores essent eius facilitatis ad ignoscendum quàm præcepisset Dominus, qui velit non septies tantum, sed septuagies septies peccanti fratri ignoſci, Cum igi

tur tanta illa veterum ſeveritas Domini maxime repugnaret documentis: nobis videndum eſt diligenter, non quod minus, ſed quod nihil omnino illis ſit repugnaturum. Qui autem exploratum habere poſſimus, quod inſtituerimus, nihil ei repugnare? Profecto ita demum, ſi nihil prorſus, ſine quo Domini impleri inſtituta poſſint, inſtituendum putaverimus. Certè autem, vt reſtituatur is qui contemptis non tantum duorum, aut trium fratrum admonitionibus, ſed ipſius etiam eccleſiæ ab re homine Chriſtiano indigna abſtinere noluit: conſtet oportet eccleſiæ reſipuiſſe eum, atque vt conſtet, publica illa pœnitentia opus eſſe arbitrantur. Sed quid ſi innoteſcere id Eccleſiæ alia quapiam ratione poſſit, eaq; vſitata & divina voce comprobata? Efficietur profecto vt ſignificandæ recipiſcentiæ cauſa neceſſaria iſta publica pœnitentia non ſit. Poteſt autem ei innoteſcere, ſi teſtentur vicini, & qui cum eiecto verſantur, eum non obſcure recipiſcentiam præ ſe ferre, & ſuum factum accuſare. Simulari (inquies) hæc poſſunt. Quid non poſſit ſimulari? Sed quæſo te, qua cum eccleſia rem eſſe vis? Non cum ea in qua aliqua ſit charitas? Non negabis (opinor) at charitas quidem (vt docuimus) non vſq; adeo cauta

ta est,non adeò suspicioſa: quinimmò neſcit malè cogitare:omnia credit,omnia fert: ſed rides tamen adhuc tantam facilitatem, maximeq; ineptam fore arbitraris. Ego verò,ſi quidem meum hoc ſit judicium, quin rideas,non recuſo: verùm charitatem talibus certè notis depictam reliquit Apoſtolus,vel ſpiritus ſanctus potius. Quòd ſi tuum aliud eſt judicium, atque adeò contrarium: à quo id eſſe authore oporteat,etiam me tacente,res ipſa loquitur. Dei profectò ſpiritus ſibi contrarius non eſt. Quod igitur Spiritus ſancti judicio eſt contrarium,à ſatana ſit neceſſe eſt. Sed præterquam quòd reſipiſcentiæ ſignum ſit, aliam afferunt cauſam quidam, quamobrem exigatur publica pœnitentia. Quemadmodum enim, ſi vnum quempiam offenderit quis, non antè offerre ſuum munus debet,quàm reconciliatus ei fuerit: ita, cum vniverſam eccleſiam offenderit, ei ſatisfieri vniverſæ oportere. Atq; hîc equidem fateor non gravatè: niſi aliter ſatisfieri poſſit Eccleſiæ. Quippe quæ deponere offenſionem, niſi peccatorem ſupplicem viderit, ægrè poſſit: ipſius peccatoris partes eſſe,vt quacunque ratione mitiget offenſorum animos. Verùm,quemadmodũ nemo Chriſtianam lenitatẽ tribuerit ei qui offenſus à fratre

tre cum fuerit, non ante ignoscere ei possit, quàm viderit ante se humi prostratum, ac supplicem: neque omnino eum facere dixerit quod Christianum hominem decet, cujus ad ignoscendum summa esse debeat facilitas: ita equidem vereor non decere id ecclesiam, in qua tota non cerni eas virtutes quæ in singulis requiruntur membris, profectò minimè laudandum sit. Illic (inquam) docetur qui offendit alterum, quid facere eum oporteat, vt placeat Deo: non agitur de ejus qui offensus fuerit officio, quem ad ignoscendum esse facillimũ oportere, ac nihil minus quàm triumphos animo agitare clarius est, quàm vt testimoniorum citatione sit opus. Ita nondum necessariam vllam videmus istius publicæ pœnitentiæ causam. Sed addat fortè aliquis: vtilem tamen, atque adeò necessariam eam fore, propterea quòd minimè vulgaris pudor cum ea conjunctus esse videatur: vt ea tanquam firmiori quodam freno homines à peccandi cohibeantur licentia. Atqui hîc nihil præter humanum auditur consilium: Dei vox, quæ sola fallere non potest, non auditur: an verò non eadem ratione persuadere volunt Pontificii auricularem suam confessionem? Quamobrem illic eam respuimus? Profectò ea

de

de cauſa, quòd humanis commentis, aut commodorum incommodorumq; ſupputationibus ejuſmodi locum non arbitremur relinqui oportere: taceo, quòd quem non cohibuerit ejectionis cogitatio, is neq; publicæ pœnitentiæ recordatione cohibetur. Age (inquies) non ſit illa quidem neceſſaria: quid ineſt tamen mali? Reſpondeo: Etiam ſi nos non videamus, quid inſit mali: non propterea ſtatim ſequatur, nihil ineſſe. Præterea, etſi nihil aliud habeat mali: cum tamen neque inſtituta divinitùs fuerit, neque vllius divini inſtituti cauſa ſit neceſſaria: ſatis ineſt mali, quatenus jugum vllum hominibus imponendi authoritatem ſibi homines vſurpant, quod ſolius eſt Dei: ac timendum eſt, ne ſi vel leviſſima quapiam in re ſui muneris limites tranſgreſſi fuerint, ad majora animum paulatim adjiciant: aut poſteris exemplo ſuo majora aggrediendi ſint authores: ita ſæpe fit vt qui ſemel verecundiæ honeſtatiſque leges re vel minimi precii ſurripienda violaverit, deinde paulatim reddatur magis ac magis audax. Eſt etiam mihi profectò ſuſpecta publica iſta pœnitentia, quòd videatur ad Phariſaicum ſpiritum alendum nonnihil momenti habere. Ineſt enim omnino homini à natura elatio quædam animi, qua

affectet

affectet quisque in alios imperium quoddam,& authoritatem & eminentiam : eaq; de causa pulchrum cuique videtur supplices,ac demisse veniam precantes conspicere. Qua de causa profectò non rarò accidet,vt cùm quis hæc sibi videatur exigere gloriæ Dei causa,privatis aut rationibus aut affectionibus ductus exigat. In summa ei quod præceptum sit , nihil prorsus addendum censeo: sed simpliciter quod Dominus docuit faciendum, vt qui ab ecclesia correptus non obtemperaverit,deinceps illa eum pro suo non agnoscat. Quòd si ille postea pœnitentiæ significationem dederit aliquam: idq; testentur fide digni viri , significatum id ecclesiæ quum fuerit , eodem sit loco,quo erat ante: idq; fiat etiam quam minima verborum pompa.

Sed quas ob causas locus censuræ fuerit? Certè quicquid conspicuo verbi Dei testimonio in homine reprehenditur , nisi quis ab eo abstinere admonitus voluerit , satis causæ ad censuram videtur fore. In quo tamen humanæ imbecillitatis habenda ratio est: quam neminem equidem rectè habiturum putem, nisi qui, cum vero teneatur Deo obtemperandi desiderio,in exploranda etiam assiduè sua ipsius imbecillitate negligens non fuerit: magna hîc cûm charitate,

ritate, tum prudentia est opus, sine quibus hoc in genere nihil fieri rectè potest. Sed miror cùm vix quicquam sit æquè homine indignum Christiano, atque vt linguæ petulantia alterius obsit, aut insidietur famæ, nullaq; in re peccetur magis: nunquã tamen quenquam hoc nomine censura notatum audiverim: atqui vt nullum aliud ferendum erat vitium: ita neque hoc vllo modo est negligendum, quo infinitæ quotidie excitari soleant rixæ, contentiones & simultates in ecclesia. Sed cum plerunque susurrones isti assentandi artibus multum valeant, sibi eorum qui authoritate aliquid pollent gratiam conciliant: & referendis modò hujus, modò illius peccatis, illisque detestandis, bonam apud eos de se opinionem aucupantur: atque ita sibi consulunt.

Præterea quosnam dicemus ejusmodi subjectos esse censuræ: solam ne promiscuam plebem? Quid si illi quos Dominus Sal terræ appellat, censura digni fuerint? Cum de iis dictum sit, Si sal infatuatum fuerit, ejus deinceps vsum fore nullum, nisi vt abjiciatur, & ab hominibas conculcetur: facilè apparet, eos quoque censuræ subjici: & verò perabsurdum esset, si, cum in pede, aut alia contempta corporis parte

parte nulla esset labes toleranda, in facie, atque ipsis in oculis tolerari eam oporteret. Sed quinam fuerint ipsorum censorum censores? Finge enim, vniversum ecclesiasticum senatum infamia laborare: an cogetur ecclesia connivere non eatenus modò, vt patiatur eos sua membra esse, aut haberi: sed etiam vt eorum iniquum ferat dominatum? Certè cum jam illi non præsideant, nisi vt perdant ecclesiam: necesse est fieri posse quod Dominus dicit, vt projiciatur infatuatum sal, & ab hominibus conculcetur. Cumq; ecclesiæ duæ tantum sint partes: vna eorum qui gubernant, altera eorum qui gubernantur: illi profectò non damnabunt se ipsimet: à reliqua igitur ecclesia damnari possint necesse est,

Quin & illud cognoscendum est, cuiusvis ne sit peccantem corripere: an aliqua sit exceptio? Certè autem qui trabem ipse in oculo habet, idoneus qui ex fratris oculo festucam extrahere conetur, non est: nisi fortè vt cum se ipse etiam apud fratrem accusaverit, eum ad emendationem vitæ secum hortetur: si enim sequatur sic alterum hortantis non obscura emendatio: adeò non inutilis talis fuerit admonitio, vt fortè alia nulla esse possit accommodatior. Sed nec ille quidem sit idoneus, qui su-

spectus

ſpectus eſſe poſſit peccanti alieni abſe animi: aut qui vlla omnino laboret infamia: quinimmò in eo qui ad alterum corripiendum accedat, bona omnino requiritur opinio: ſed præcipuè, vt ſit Chriſtianæ charitatis atque manſuetudinis nomine valde commendatus: cui etiam non ſupercilium, non tetricus ſeveruſq; vultus, non tardus inceſſus, non vllum externum adjumentum, ſed conſpicua morum ſanctitas authoritatis aliquid conciliaverit. Quæ ſi abſint, magis ad irritandos animos, replendamque ſimultatibus eccleſiam, & muniendam eccleſiaſticis paſtoribus ad tyrannidem viam hujus diſciplinæ vſus fuerit, quàm ad mores emendandos. Quorum tamen abuſuum periculum tanti facere non debent magiſtratus, vt rem ab ipſo Domino proculdubiò inſtitutam impediant. Quid enim hoc ſit aliud, quàm Dominum quaſi accuſare imprudentiæ, qui rem vnde plus mali emergere poſſet, quàm boni inſtituiſſet? Vt timeant abiturum valde ſalutare, atq; adeò neceſſarium inſtitutum in abuſum, magna cauſa eſt: atq; in eo ſapientiſſimè quidem fecerint. Sed ejuſmodi tamen ſuſpicionis cauſa non prorſus impedire illud debent: ſed vt explorent ſubinde quàm decenter, quàm ſanctè vſurpetur: atque

que vt iniquis temerariisque: quorumcunque resistant conatibus, severitate magna adhibita, inferiorem ne arbitrentur sua dignitate curam: reprimant ipsi tantùm eorum qui suam majorem quàm oportet, authoritatem esse volent insolentiam: & omnia rectè habeant necesse sit. Sed multi magistratus ideo etiam non permittunt hujus disciplinæ vsum, quòd velint ipsi in summa vivere licentia: atq; interim etiam Christianæ pietatis frui nomine, qui divinam iram non effugient. Quicquid enim ex improba falsorum Christianorum vita, quibus absq; disciplinæ vsu perpurgari ecclesia non potest, in Evangelicam veritatem dedecoris exundat, ejus certè ipsi pœnas dabunt. Ac de doctrinæ morumq; depravatione qua omnis Christi regni eversio, regni autem satanæ constitutio continetur, hactenus dictum sit. Sed quoniam satanæ haud satis est, si Christi regno everso suum erigat, nisi suum illud sibi communiat, firmetque: proximo loco quæ sint satanici regni munimenta, dicendum erit.

* * * *
* * *

SATANÆ

SATANÆ STRATAGEMATVM

LIBER SEXTVS.

ILlud constat, Christi regni instaurationem in doctrinæ, hoc est, in Evangelicæ veritatis restitutione esse positam: ea enim & ostendit quid nos velit Deus facere: & partim promissis allicit, partim comminationibus impellit ad Deo obtemperandum. Quod vbi fit, ibi Christus regnet, indeque exulet satanas, necesse est. Quare omnia quidem satanica regni munimenta eò pertinere par est, vt Evangelicæ veritati omnis sit aditus præclusus. Proinde ad ejusmodi consilium quænam conferre possint, investigandum est. Ac illud quidem occurrit primùm: quod si integrum sit cuique quàm maximè velit religionem colere, ac tueri, cum maxima sit ingeniorum judiciorumque diversitas, fiet, vt opinionum sententiarumque permagna etiam sit diversitas: vtq; nemo non habeat qui ab se dissentiat, sibiq; contradicat: cumq; nemini propemodum non contradicatur, necesse fuerit multos in dubium venire, quid

Opinionum de religione modesta libertas, regno Satanæ imprimis adversatur.

Potissimum probent, sequantur q;. Qui dubitat autem, is ad veri inquisitionem extimulatur, & multis inquirentibus mirum ni aliquis invenerit. Inventa porrò veritate si differendi sit libertas, facta sententiarum collatione, illa superior evadat, necesse est. Ex quo quidem efficitur, cum opinionum de religione libertate consistere satanæ regnum diu non posse. Quòd si ei libertas non convenit, consequens est, certam aliquam legem convenire quæ libertatem illam coerceat, ac tollat. Ac cum neque prorsus tolli omne religionis nomen queat, & omnes facilè intelligant plus vna veram esse non posse: quæ alia ejusmodi lex fuerit, quam qua certa quæpiam: sed maximè illa quidem impia, atque detestanda colii jubeatur religio? Quisquis autem contrà vel mutire quid ausus fuerit, in eum atrocissima quæque constituta sint supplicia? Quæcunque autem lex promulganda sit, occasione aliqua est opus: ac quænam occasionem præbere soleant ad tollendam opinionum de religione libertatem, haud difficile admodum sit cognoscere. Sunt enim proculdubio hæc nimis magna dissidentium opinionum multitudo, contentiones, lites, rixæ: quas quidem non tum demùm serit satanas, quum jam depravata

est

est doctrina: sed jam inde ab eo tempore quo integra est ac syncera, sunt enim contentiones & rixæ ad eam depravandum, labefactandumq; via quædam ac ratio: ac tametsi placere satanæ illa instituta nequeunt quæ doctrinam, quum sincera est, depravari non sinunt: at illa certè placent, quæ, tametsi eum quidem in finem excogitata fuerint, potius tamen confirmant, propagantque errores, & sectis occasiones præbent, quàm horum quicquam impediunt. Quænam autem sint ejusmodi, jam demonstratum supra est. Quoniamq; quo plures sunt ii qui in receptam insurgunt doctrinã: & quo magis temerarii, insolentes, morosi, quoque magis absurda sunt quæ afferunt: & quo plus habent authoritatis, magisque iræ, atque indignationi sunt obnoxii qui ecclesiis præsunt, eo impotentius videntur in publicæ quietis turbatores omnia conaturi: quid decernatur, etiam atque etiam videndum est: ne, dum satanæ te resistere pulcherrimè existimas, præter omnem spem ipsius satanæ potius rem agas, qua de re multis verbis Libro tertio disseruimus. Quandoquidem autem ad sciendi cupiditatem natus homo est, valetq; judicio nonnihil, quo non rarò cernere verum possit: possunt autem & sciendi cupiditas, & judi-

cium tum intendi, tum remitti, intereſt abſque dubio ſatanæ, hęc quam minimum habere virium: ac quoniam à ſciendi cupiditate inquiſitio proficiſcitur: eſtq; inquiſitio ad veri agnitionem perveniendi via: partim quidem haud expedit ſatanæ (vt dictum eſt) inquirendi permittere libertatem ſuo in regno: partim etiam videtur, ſi tollatur, obfuturum, ferè enim (vt ille ait)

Nitimur in vetitũ ſemper, cupimuſq́, negata

Magnum autem intenſumq; deſiderium ſi fuerit, quieſcere non poſſumus, donec impedimentis ſublatis, quacunq; ratione omnibus ei ſatis fecerimus. Quare ſi ſublata inquirendi libertate, intenditur ſciendi cupiditas, alia quapiam eſt opus ratione qua ejuſmodi compeſcatur cupiditas: aut etiam, ſi fieri poſſit, omnis tollatur prorſus. Eſt autem deſiderium omne in cogitatione poſitum. Nemo enim optare quicquam, niſi cogitans, poteſt. Ergo ſi poſſit ſatanas conſequi, vt de religionis veritate cognoſcenda ne cogitemus quidem, profecto ne eam optemus, aſſequutus fuerit. Quoniamque cujuſque rei deſiderium ex tribus cogitationis quaſi partibus conſtat: quarum prima eſt, qua cogitamus eam rem bonam eſſe: altera, qua cogitamus e-

Satagit is vt tollat omne veri inquirendi deſiderium.

am

am abesse à nobis: tertia est, qua cogitamus fieri posse, vt eam assequamur: si horum vnum desit, desiderium ipsum consistere non possit. Multò autem minus, si desint duo, aut omnia. Age igitur, si persuasus sit quispiam, quicquid fecerit Deo placendi desiderio eorum hortatu quorum videatur populum ad pietatem instituere, fore vt id Deus boni consulat: nam si perperam edoctus fuerit, eos daturos pœnas qui docuerint, non se: huic quidem haud multum referre videatur, sive aspiciat veritatem, sive minus. Quoniamque si cum re quapiam, etiamsi alioqui bona, expetendaque mali aliquid conjunctum esse videatur: quantum illud malum fuerit, tanto res illa minoris fit: adeò, vt si plus mali habere, quàm boni videatur, non in bonis, sed in malis eam habiturus sit: si quis primum parùm referre putet, sive habeat in religionis negotiis veri agnitionem, sive minus: deinde autem simul persuasus fuerit, eam se agnitionem adipisci non posse, nisi adhibitis maximis laboriosissimisque studiis, ac magnis etiam sumptibus (quæ videlicet mali rationem obtinent) ea quidem res haud bona quæsitu, sed mala ei videatur. Qui etiam persuasus fuerit, haud posse se vllo modo eam consequi

ſcientiam, ſive quia non poſſit in eam illa impendere ſtudia quæ videtur requirere, ſive quia deſit ei aut judicium quale videtur opus eſſe, aut ingenii acumen, aut quidl aliud: haud magno tenebitur eam inquirendi deſiderio. Qui denique pro certo habet receptam doctrinam veram eſſe, & quicquid ei repugnet falſum: haud ei deeſſe veri in religione cognitio videatur: itaque inquirendam eam non putabit. Quæ perſuaſiones cum ad extinguendum verr inquirendi ſtudium maximam videantu vim habere: vnde illæ oriantur, quibuſqu rebus confirmentur, operæprecium fueri cognoſcere.

Veriſimile eſt, quum populus videt vi ros eruditos, magniq; nominis de variis re ligionis punctis haud ſentire eadem, ſe magnas inter eos eſſe lites, ac contentione eum in ejuſmodi labi cogitationem, vt a bitretur religionis doctrinam admodu obſcuram, difficilem cognitu, atque ince tam eſſe rem, cujuſque veritatis inquire dæ finis ſit nullus: quippe cum non Latin non Græcæ, non Hebraicæ linguæ ſcie tia, non vlla eruditio alia, non tot exp ſitorum qui ſe divinas literas illuſtrare p ſe crediderant, ſcripta, non denique ali quidquam tantum conferre poſſit ad e

ru

rum rerum cognitionem: vt tandem omnis tollatur obscuritas ambiguitasque, ac simul omnes cessent lites: quam quidem perplexitatem & alia quædam adaugent: velut illud, si, cum librorum qui in sacrorum scriptorum explanationem infinitus cernatur numerus, eruditi viri de religione differentes, eorum qui de ea scientia scripserunt sententias citare, atque iis vti quasi testibus quibusdam consueverint. Necesse est enim hujusmodi hinc gigni opinionem, vt nemo quicquam explorati habere posse videatur, nisi qui innumerabiles evoluerit libros, ac de quaque re quæ fuerit præstantissimorum scriptorum sententia, probè teneat. Mirum est autem, quàm multum scripserint quidam: nam solus Origenes sex milia librorum reliquisse dicitur. Augustini tam multa extant etiamnum, vt dubitare quis possit, vtrum hominis ætas iis solis perlegendis suffectura sit: multa etiam reliquerunt Hieronymus, Chrysostomus, & alii: nostraque ætas ita fœcunda est, vt Patribus palmam in eo genere non tam invidere videatur, quàm jam eripuisse. Plerique autem cum desperent se posse tot evolvere volumina: ac multi etiam vnde ea sibi emant, non habeant: cumque absque eorum diligenti

Præcipuè vt reiiciat populus Sacrorum curam & lectionem in Pastores.

lectione proficere se quicquam posse non arbitrentur, quid supereſt, nisi vt omne divinarum rerum studium, omni proficiendi spe sublata, deserant? Qui cum non ideo salutis spem omnem queant abjicere, in eam cogitationem delabantur necesse est: vt arbitrentur haud esse cujuslibet exploratum habere quid credat: sed satis esse si illis obtemperet qui religionis curam habent: quorum periculo futurum sit, sicubi peccatum aliquid fuerit, illorum esse quid populum doceant, videre. Immò verò cum hæc ratio expeditissima esse videatur, & procul ab omni molestia, simul ac periculo, ineptè illi facere videantur qui laboriosis studiis, valdeque molestis, quasi de industria quærant in quo insaniant. Quæ persuasio & ex eo confirmatur magis, quòd quum omnes sacræ lectioni operam navant, siquidem haud omnes eodem prę-diti esse possunt vel spiritu vel acumine, ne potest quidem omnibus de rebus idem videri, omnib. Neq; verò quia aliquis iudicio parũ valeat, protinus agnoverit se parum videre, vt cedat melius sentiẽti. immò verò vt quisq; minimũ valet ingenio, ita sibi maximè placet: cũq; id quãplurimis vsu veniat, ac sæpissimè, multas oriri cõtroversias oportet non inter eruditos tantùm, sed etiam

etiam inter quoslibet, quarum causa cum Ecclesiasticis pastoribus multæ sint subeundæ molestiæ, accidantq; ea quæ cum cõtroversijs coniuncta ferè esse diximus: iræ videlicet, indignationes, probra, maledicta, ad quærenda remedia quibus omnibus os obstruant, adiguntur pastores. Quo fit, vt cum postea integrum non sit quicquid velis tueri, eo delabantur tandem (quo videlicet aliquam habeant ignorantiæ excusationem) vt arbitrentur, quemadmodum ad solos viros doctissimos, eos videlicet qui ecclesiis præsunt, pertinet, quid tenendum sit, decernere: ita earum rerum studium ad eos solos pertinere. Cui errori adeò sæpe non occurrunt pastores, vt etiam suffragentur maximè, dum ijs victi molestijs quas ex frequentibus controversiis eos alioqui accipere necesse est, audaculorum arrogantiam nimis acerbè retundunt: jubentque cum stomacho aut calceos suere, aut pannum texere, aut venationi indulgere ac quæstiones de religione eis relinquere, quorum omnis sit vita cum libris. Quibus ex obiurgationibus cum aliqua notentur nonnulli ignominia, aut alio etiam aliquo afficiantur incommodo graviore, horum ex exemplo cæteri discunt, haud expedire eiusmodi involui molestijs. Atq; ita ab omni

sacrarum

sacrarum literarum lectione abstinere malunt, immo vero etiam suis, vt ab ea abstineant, authores sunt, ex quo paulo post ignoratio rerum omnium consequatur necesse est, cumq; ignoratione firmum ac pertinax in ea perseuerandi propositum. Quid tu ergo hic fieri velles? Inquies: certe quidem cum Spiritus sanctus tot locis ad diuinorum scriptorum lectionem, ex æquo hortetur omnes: quicquid eiusmodi est, vt vllum hominum genus inde abducat, dehortetur que, necesse est à satana esse, non à Deo: propterea que vitandum. Quare si quorum retundenda nimia sit temeritas: quod qui nihil intelligunt, doctores velint agere atq; omnes præ se contemnunt, videndum est etiam atq; etiam, quid illi peccent, quidue tu reprehendas, oportet enim non præcipitem, aut iracundam reprehensionem esse, sed prudentem. Non peccat autem, ne quidem si sit baiulus, quod sacra legat scripta, quod inquirat certa suæ salutis fundamenta, quod conferat cum amicis siue æqualibus, siue etiam se doctioribus: quinimmo maximam hinc meretur laudem: & omnes idem vt faciant, hortandi sunt, sed nec peccaverit quidem, si nondum cognita veritate, probare meliorem noluerit sententiam, ne si magni quidem nominis

nominis vir de eius testetur veritate: quippe cui verbum Dei cui credat, sit propositum, non celebri nomine viri, quin potius inquirendæ erunt ex Dei verbo tam commodæ, tamq; apertæ veri demonstrationes, vt non possit rem non videre, hortandus erit, vt à Deo veri lumen petat: coniungendæq; tuæ simul præces, quod si parum reverenter, si temere, si insolenter hisce in rebus versetur, hoc solo nomine obiurgandus sit, sed ea tamen cautione, atque moderatione, vt eius primum peccata à personæ seiungas vilitate, atq; vitæ genere: deinde ne nimio obiurgationis rigore tum ipsum, tum æquales eius divini studij desertores facias, quinimmo si videatur populus haud ita multi facere hæc studia, ad ea erit omni ratione inflammandus. Quoniamque omnino duo sunt incommoda quæ vitare ambo vix, ac ne vix quidem possis: ne quod infinitis partibus sit minus declinare malis, vehementer cavendum est. Certè enim si vigeant divinarum literarum studia in populo: deesse lites controversiæque non poterunt, nam vt mittam ingeniorum diversitatem, inæqualem spiritualium donorum mensuram, & naturæ vitium illud, quo fit vt sua cuique plus æquo placeant: quiescere profecto non poterit satanas

nas, quin ſuis emiſſarijs turbare omnia conetur, & eiuſmodi lites non poſſunt non magnas afferre paſtoribus moleſtias. Atque hoc quidem vnum eſt incommodum, ac illud profecto magnum, alterum eſt, quod ſi populus deſeruerit hæc ſtudia, ſoiique Eccleſiaſtici paſtores ea ſibi vendicaverint: paucis illis ſatanæ artibus depravatis, rerum omnium brevi ſequutura ſit depravatio. Hæc igitur datur optio pijs paſtoribus: malint ne illud perpeti quicquid eſt moleſtiæ, vt maneat in populo Dei, eiuſq; legis cognitio: an vt ſuæ conſulant tranquillitati, vtque beatè ſuaviterque vivant, caligini ac tenebris feneſtram aperire, eccleſiæ curam deſerere, omnia ſatanæ dominatui permittere. Tametſi enim quamprimum (te videlicet vivo) ſequutura hæc vaſtitas non eſt: certè procul abeſſe non poterit. Quominus autem propter controverſias quæ inter doctiſſimos quoſque de religione ſunt, adeo videatur Evangelium obſcurum, vt rectè id intelligendi ſpes non ſit: primum quidem danda opera eſt, vt aut ſopiantur controverſiæ, aut, quanto minore cum ſtrepitu fieri poteſt, tractentur, qua de re multis verbis ſupra diſſeruimus. Deinde etiam, quia omnino (vt diximus) controverſias eſſe neceſſe eſt, monendus

nendus sæpe est populus de hac necessitate: neque inde capiendam coniecturam obscuritatis, aut incertitudinis doctrinæ, quod inter viros eruditissimos de ea non conveniat: prædictum iam fuisse à Dei filio, quod placuerit cœlesti patri celare arcana sua sapientes, parvulis autem ea patefacere. Quid igitur mirum, si videamus id contingere, quod ipse Dei filius testatus est? An non hinc potius crescere spes debet simplicibus si se Deo permiserint, si eius spiritum imploraverint, fore vt sibi patefiant quæ assequi sapientes nullis queant studijs, nullis humanarum artium adiuti præsidijs? Immo vero sapientes illos ideo ea percipere non posse: quia præsidijs eiusmodi plus satis tribuant? Quod cum fere Deus non possit: quippe qui sibi acceptam ferri sapientiam omnem velit, non rei cuiquam, eos videndi vi omni privat, vt planè videre nihil possint, an vero non maxima ex parte imperiti homines fuerunt ij qui Christum, quum inter homines versaretur, sequuti sunt? Viri autem docti, quales Pharisæi erant, eum insectati sunt, maximiq; eius extiterunt hostes? Miremur igitur, non videre eos, propterea q; andabatarum more in tenebris pugnare, qui capti sunt oculis? Matth. 11.

Sed

Mos scripta vel Aurhores citandi, improbandus & periculosus.

Sed de consuetudine scriptorum authoritates citandi quid dicemus? Certè vbi ea invaluerit, necesse est arbitrari homines aliter exploratum esse, quid tenendum de quaq; re sit, non posse, nisi excussis meliorum quorumq; scriptorum sententijs, quo errore implicati qui fuerint, de ijs (nisi omissis rebus omnibus, totos eorum lectioni se tradiderint, qui admodum pauci futuri sunt) quid sperari possit, non video: nisi vt lectionem omnem deserant, in eamque opinionem veniant, vt arbitrentur haud aliorum esse diuina scrutari, quam ecclesiasticorum pastorum. Quare etiam si nihil aliud haberet hæc consuetudo incommodi: tamen hoc solo nomine maximè detestanda videretur. Verum non desunt & aliæ causæ, atq; illæ quidem grauissimæ, propter quas sit improbanda. Ac primum quidem qui honor scripto Dei verbo habendus erat: dico eum hac consuetudine in expositores transferri propemodum omnem, nam quod quisque persuasum habere debebat, quia ita Dei spiritus scriptum reliquisset, iam persuadetur: quia sic quidem interpretentur, tametsi enim persuasum habet quod scriptum sit, verum esse oportere: non id tamen quod scriptum est, ideo credit, quia ita scriptum sit: id enim

se

se intelligere diffidit: sed quia sic exponant illi quorum acquiescendum authoritati putat, adeo, vt si scripto contraria sit expositio, interpretum sequuturus sit, non scriptam Spiritus sancti sententiam. Quis ergo hic non videat, plus fidei haberi expositoribus quam divinis scriptis? Aut saltem certè tantundem? Idem enim accidat: atq; si ad regem legati alicunde venerint, quorum linguam non intelligat, vt vti oporteat interprete: nam si credit quod dicitur: profecto non quia legati sic referunt, quippe quos non intelligat, credit: sed quia interpres sic eos referre testatur, adeo, vt si interpres perperam exposuerit, interpreti fidem habiturus sit, non legatis: vt interpretis fidei niti regis credulitatem, non legatorum verbis facilè appareat, ac cum scriptorum authoritas firma quædam ac stabilis res non sit: quippe, cum alij alio tempore maiori sint in precio, vt non ita pridem Thomæ Aquinatis summa erat apud omnes authoritas, apud nos nulla est, fiet vt si adepti authoritatem fuerint parum sinceræ doctrinæ homines: eorum testimonio ea credatur divinitus tradita doctrina quæ diuinæ forte ex diametro repugnet, id quod in Romana ecclesia contigisse videmus. Præterea cum testetur Dei filius, patrem

trem ſua arcana non ſapientibus patefacere voluiſſe, ſed parvulis neceſſe eſt etiam quæ ſcripta ſunt, parvulis fuiſſe ſcripta, non ſapientibus; at vero conſuetudine illa fiet, vt ſoli ſapientes intelligere ea poſſe videantur: illi videlicet, qui Domini teſtimonio ſoli intelligere non poſſunt, non quod ſcriptores omnes ex eo ſint ſapientum numero, de quibus intelligit Dominus: ſed tamen vt vt rem accipias: non poteſt inde non gigni opinio ei contraria quam parvuli ex Domini verbis habere debeant. Ad hæc vt optandum eſt, ne vlla oriatur lis, aut controverſia: ita optandum eſt, vt ſi quæ oriantur, ad eas componendum quam expeditiſſima ſit via, atqui ſi expoſitorum afferendæ ſint ſententiæ: cum videri poſſint & ipſi multo magis quam Dei ſpiritus pugnantia ponere, ambiguè atque obſcurè loqui, vt ipſorummet expoſitorum alij loci alijs explicandi ſint: quis non videat infinitis partibus prolixiorem fieri viam terminandorum diſſidiorum, quam ſi ſola citentur divina teſtimonia? Hic enim tandem finis ſit aliquis & citandi loca, & ea excutiendi, ac illic nullus omnino eſt finis, an vero non videmus in vnam aliquando quæſtionem conſcriptum maximum volumen, atq; adeo non ſubla-

tas

tas tamen omnes cavillandi ansas, vt potius latissimus cavillandi campus datus esse videatur? Restituerat Lutherus, alijq; priores Evangelicæ veritatis vindices, pulcherrimam illam, maximeq; necessariam ex solo Dei verbo testimonia petendi consuetudinem: sed quidam alij pulcherrimè se facturos arbitrati, si hostes eorum ipsorum confoderent telis, eo redierunt, vt Patrum authoritatibus omnia denuo replerent, quod vtinam tam secundo feciſſent successu, quam bona spe aggressi sunt. Certè cum ante adversarij peranguſtum in locum cogerentur: vt quo iam se verterent non haberent, hac ratione valde amplum spacium exercendis cavillandi, tergiversandi, eludendique artibus adepti suut, equidem pernicioſiſſimam, omninoque fugiendam hanc esse arbitror consuetudinem, aureſque assuefaciendas, vt nihil, cui adhibeatur fides, præter sola Dei oracula sacris libris comprehensa agnoscant. Sed quoniam ingeniorum permagna est varietas, longeque maxima naturalis quorundam curioſitas, qui nihil cuius non certam se habere putent rationem, persuadere sibi patiantur, quo minus hominibus eiusmodi quicquam conferat ad veri inventionem sua curioſitas: aliqua satanico regno proviſione

opus est ad hebetandam illis omnem inge-
nij iudicijque vim. Sanè autem tum qui-
dem obtinet hominis iudicium præcipuè
suum robur, quum matura est ætas: quum-
que ipsum rectis meditationibus cogita-
tionibusq; assuefactum est, nullis contami-
natum, antequam ad suam perveniret ma-
turitatem, erroribus, & ab omni animi per-
motione liberum, contra autem nulla e-
ius est vis in pueritia, neq; etiam sequen-
tibus ætatibus, si pravis assuefactum sit co-
gitationibus: si præoccupatum fuerit erro-
ribus, quumque animi obnoxium est per-
motionibus. Ergo si qua sit in populo con-
stituta stabilitaque religio, eaque falsa,
cum eam pueri quasi cum nutricis lacte
imbibant, quo tempore nullum prorsus est
iudicium: posteaque audiant de illa paren-
tes, domesticos, vicinos, omnes denique
vno quasi ore loquentes: cum imprimatur
teneris animis ea opinio, quod si quis alii-
ter crediderit, certissimè sempiternis infer-
ni ignibus cruciandus sit: eiusmodi præ-
stigia non sinunt crescere iudicium: sed
opprimunt, prorsusque interimunt: vt
aspicere nullum lumen queat. Itaque ne-
que per se indagare verum, neque si qui
patefacere id ei velit, ferri potest. Præ-
ter autem eam sic credendi consuetudi-
nem

Quibus artibus firmet Satan in animis vulgi errores.

nem, quæ jam cujuſdam inſtar eſt naturæ facta: illud etiam accedit longe quidem maximum ad veri agnitionem impedimentum: quod ita credidiſſe maiores videantur, quos in errore fuiſſe, ægerrimè perſuadere ſibi omnes patiuntur. atque hæc eiuſmodi quidem ſunt: vt præcaveri niſi doctrinæ conſervatione, non poſſint, tantum ad id quod de maioribus dictum eſt, prodeſſe aliquid poſſit: ſi ſæpe illud inculcetur: perpetuo hoc eſſe obſervandum: vt quid Dei verbum nos doceat inſpiciamus, non quid maiores noſtri crediderint, niſi inquirendi fortè cauſa, quod quum facimus: vbi quid ipſi crediderint, quomodoq; Deum coluerint, invenerimus: haud ibi conſiſtendum eſſe: verum adhuc inquirendum, quo verbi Dei teſtimonio freti ita vel crederent, vel facerent, forte enim ſi cõſiliũ hoc frequentiſſimè inculcatũ fuerit: eius veſtigiũ aliquod manere etiam depravata reliqua doctrina poſſit: vt eo admonitus, aliquis ad veri inquiſitionem excitetur, ſed & cum prava ingeniorum exercitia ad iudiciorum depravationem valeant plurimum: eo quidem pertinet diſſerendi conſuetudo, qua id ait quiſque, vt vincat ipſe, non vt vincat veritas ad ingenij tantum oſtentationem: qualibus ex diſputa-

tionibus propagantur infinitæ lites, depravantur corrumpturque omnes liberales artes, fitque vt tandem quo plus quisque studij ijs perdiscendis insumit: minus acquirat solidæ vllius scientiæ, cui renascenti iam consuetudini, obviam eundem est primo quoque tempore, vix enim vlla maior est pestis.

De animorum motibus qui iudicium depravant, etsi aliquid jam attigimus supra: hoc tamen loco, vbi aliud est propositum, nonnihil agamus rursus oportet, illic enim de ijs agebatur permotionibus quæ à cognita deducere veritate possent: hic de ijs motibus disputatio est, quæ quii in erroribus creverit, eum præbere adveni-enti veritati, aures non sinunt. Illud constat, hominem eatenus verum amare, atque odisse falsum, vt neque velit alterum pro altero sibi obijci: neque velit vel labi, vel falli, quo fit vt amet eos, quos persuasus sit vera dicere, veraque docere: quos autem credit falsa dicere, aut docere, ab ijs abhorreat, eoque maiore tum odio prosequitur vtrosque quo plus boni aut mali in re qua de agitur, positum esse arbitratur, maius autem bonum sempiterna beatitudine, maiusue malum sempiternis cruciatibus quibus de rebus agitur, quum de religioni-

doctrina

doctrina agitur, ne fingi quidem cogitatione vlla potest, quo fit, vt quam doctrinam religionis vt veram amplexus fuerit, eam amet, & eos etiam, qui eam docent, quique ei fauent: odio autem habeat quæcunque ei repugnet, eiusque tum doctores, tum fautores. Quare qui quidem inter errores sit natus: cum eos veritatis loco habeat: non potest eos non amare, ac veritatem, quæ illis repugnat, odisse, ac quanquam si veræ doctrinæ ne vlla quidem reliqua sit memoria, in eam rem, cuius nulla est cogitatio, exerceri odium nullum potest: eius tamen tale iam latet in animo semen: vt quamprimum emergat alicunde veritas, ipsum quoque odium emersurum sit. Quoniamque quo plus bonorum aliqui in re inesse videtur, tanto etiam amatur magis: si dogmata illa, in quibus quis natus fuerit, eiusmodi adipiscendæ æternæ vitæ viam monstrent: vt à voluptatibus non admodum abstrahant: neque sanè ea requirant quæ vlla magna difficultate, molestia vel labore præstentur: hoc est in summa, si eiusmodi invaluerit religio: vt si homini facta potestas fuisset, qualem maximè religionem valet sibi arbitratu suo fingendi: nam eam & Deo ipsi probatum iri, haud dissimilem admodum fabricaturus

fuerit: tanto erit in eius amorem procliuior. Quare minimè mirum est, si homine adeo ægrè patiuntur se à Pontificijs tenebris avelli, tametsi enim Pontificij quædam exigunt, quæ quis faciat invitus: vetet quæ cupiat sibi præmissa (quod fit Decalogi, quem vtcunque adhuc retinent, præceptis) tamen si quis deliquerit, admodum faciles proponunt delicti expiandi rationes, vt frequentem missarum auditionem, earumque emptionem, ad numerum pronunciatis preces quasdam, Pontificiorum diplomatum, quibus minimo precio remittuntur peccata, redemptionem, aliasq; id genus nugas: sed ne hic quidem alia ratione occurri videtur posse: quam si nondum corrupta doctrina quam frequentissimè moneatur populus, Evangelicam legem haud esse talem, quæ humano judicio, atque sensui arrideat: sed maximè repugnare, ea exigere, à quibus maximè abhorreat homo: qualia sunt illa, vt inimicos diligat, sua contemnat, aliena maximè curet, probra, convicia, omneque iniuriæ genus, Christi causa patienter ferat, atque alia eiusmodi. Quoniamque quo vehementius persuasus aliquis est, falsum esse quod ei obijcitur, eo minore iudicio expedere, id potest: magisque ab eo abhorret: il

lu

lud ad firmandum ſtabiliendumque errorem, maximam habuerit vim: ſi eius quæ vera ſit doctrina, aliquis maxime infami nominis hæreticus author putetur fuiſſe, inde enim fiet, vt ſi quis eam rem in controverſiam vocaverit, maximi reus habeatur ſacrilegij, fere enim eiuſmodi eſt hominis ingenium, vt non quid quiſque dixerit, ſed quis dixerit ſpectandum putet, at ea quidem ratione, vix vllum Chriſtianæ doctrinæ punctum, non reijciendum eſſet, vix enim eſt vllum, cuius non hæreticus quiſpiam aſſertor fuerit. Monendus igitur ſæpiſſimè eſt populus: ne curet quis quidque dicat, ſed quid illud ſit, quod dicitur. Etenim vel ſi ſatanas, quod verum ſit aſſeruerit, adhuc manere verum: contra autem, ſi cœleſtis angelus aſſeruerit, quod erat falſum: non propterea fieri poſſe verum.

Indicia falſa & fallacia Religionis veræ falſæve.

Plurimum etiam refert, quum arbitrantur homines ſe indicia tenere, quibus verã religionem à falſa diſcernant: eaq; indicia illorum conveniunt erroribus, ac veritati repugnant, id enim animos in erroribus obfirmat mirum in modum. Primum autem, quod iampridem diximus, fingit ſibi homo Deum, quaſi homo ſit quiſpiam humano ingenio, qui delectetur auro, gemmis, lapil-

lis, sumptuosis apparatibus, quique fabulas & nugas amet, cui placeant magna ac superba ædificia, qui de suo iure dimittere velit nihil: veluti condonandis iniurijs absque compensatione aliqua: atque alia etiam de eo somniat id genus multa. Sed illum ea in re etiam infra hominem ponit: quod cum non credat eum quicquam de suo iure dimittere velle: mirum quas nugas somniet eum boni consulturum, pro rebus infiniti ponderis: dum putat se rebus prorsus nullius precij, ac inanitate ipsa inanioribus peccata compensare posse. Neq; contendo ego sic loqui homines: sed tamen si quis eorum observet studia, qua dogmata facile amplectantur, mordicusque retineant: à quibus desiliant, atque abhorreant: comperiet profecto eorum hunc sensum esse, quare depravata religionis doctrina, si quid imaginationibus eiusmodi repugnet: id protinus omnino falsum arbitrantur esse oportere. Secundo vero loco, ex eo conijciunt veritatem doctrinæ: si eam nationis suæ homines videantur diu probasse: præsertim si quos habuit sapientiæ nomine insignes viros: tametsi, quę non habeat? Quicunq; enim vel minimũ inter cæcos videat, oculatissimus videatur, quare quicquid nouitatẽ aliquam redolet, quod

post

post receptos errores veritas faciat, necesse est, id non potest non falsum videri: qua ratione fateri oporteret maximè, ex omnibus in veritatis via fuisse eos, qui Iovem, Saturnum, aliamq; eorum Deorum turbam coluerunt, quorum religioni quamplurimæ nationes, diutissimè adhæserunt. Sed & religionis cujuspiam, tum veritatem, tum falsitatem, ex rebus vel secundis, vel adversis metiuntur, quæ eius contingunt cultoribus: sed ea tamen lege: vt quod in alienam religionem valere volunt, in suam valere non patiantur. Quamprimùm enim à religione sua alienis aut grando aliquid damni intulit, aut quid accidit ejusmodi: id protinus eorum impietatis certissimum esse volunt argumentum. Sed si idem, aut multo etiam majora perpessi ipsi fuerint: jam aut casu factum esse volunt, aut quidvis fateantur potius, quàm divinæ iræ propter vllam impietatem fuisse signum. Atque eadem quidem etiam æquitate, ex pravis moribus conjecturas ducunt. Nemo enim ex suorum flagitiis religionem suam in suspicionem adduci vult. Ad alienæ infamiam quibus arbitratur sufficere. Postremò eo etiam signo arbitrantur homines, se falsam religionem à vera discernere, si clam doceatur· neque prorsus ineptè.

nam

nam cum furta, adulteria, multaq; alia facinora, non nisi clam admittantur: mirum non est, si etiam ea in doctrina, quæ clam docetur, scelus aliquod inesse videatur: sed tametsi aliquo tempore valere hæc ratio potest: valere tamen semper non potest. Quemadmodum enim, quum magistratus veræ favet religioni, quidquid clam docetur in angulis, aut noctu, necesse est falsum impiumq; esse: ita si ille veritatis sit hostis, mirum non fuerit: si quod palam fieri non licet, clam, ac quasi furtim fiat. An verò olim clam sacrificabatur Iovi, Saturno, Iunoni, aliisq; ejus farinæ Diis? Annon palam (nisi fortè ipsa obstaret religio) eorum sacrificiorum tradebatur ratio? Quid Turcæ? An illi hodie non publicè suos in sua instituunt impietate? An propterea vera illi dicantur docere? Contrà, quid primi Christiani sævientibus in eos tyrannis? non illi noctu & clam precibus ac lectioni persæpe operam navabant? Ideone autem eorum damnanda erat religio? In tempore igitur, antequam subtrahatur veritatis lumen, quàm frequentissimè monendus populus est: ne putet indiciis ab se excogitatis, aut quoquo modo rationis suæ iudicio de doctrinæ cujuspiam, vel veritate rectè posse, vel falsitate judicare: sed unam

judicii

judicii regulam esse Dei oracula, sa crisliteris comprehensa: hæc sola nobis Lydium esse lapidem, quo aurum ab ære discernamus: alium verum indicem esse prorsus nullum, quare hoc præceptum memoriæ mandandum, hoc tradendum liberis, & domi sedenti, & iter facienti, & cubitum ituro, & consurgenti, hoc manui signo aliquo alligandum, hoc in parietibus domus inscribendum: denique semper ante oculos versari oportere, si hujus præcepti semel irrepserit oblivio, fieri non posse quin protinus doctrinæ omnis sequatur depravatio: & ita sequatur, vt postea vix magno conatu adhibito, inventura sit locum veritas. *Deut. 6.*

Ac quoniam etiam eò vehementiora sunt odia, majoreque vi judicium omne opprimunt, quo sæpius irritantur animi, turbanturque: cum non possint odia in piam doctrinam exerceri tum, quum jam sublata est, atque in oblivionem venit, vt odiis assuefiant animi, in falsam aliquam doctrinam exerceantur oportet. Cumque non possit idem populus eandem doctrinam & amare, & odio prosequi, oportebit plures falsas religiones esse, easque diversas: quæ cum coalescere vno in populo vix possint, oportebit etiam diversis eam esse in populis: ita, vt suam quisq; probet: quicquid ab

ea

ea dissidet, improbet, odioque habeat, atq; eos simul qui ab illa quid abhorrent: quare cum secta in sectam odia exerceat, fiet vt vndecunq; veritas illucescat, in eam vndiq; maxima parata sint odia: atque vt cuiusq; impietatis sectatores à sectis aliis excipi soliti erunt, ita excipientur veritatis assertores: ac tanto etiam asperius, quanto improbius tum in eorum odium hominum animos inflammabit satanas. Hac de causa moneri sæpe populum oportet: eatenus quidem odio habendos à vera religione alienos, vt eorum infensi simus impietati, atque actionibus & factis iis quibus aut veritati resistunt, aut quoquomodo in Deum, ejusque ecclesiam sunt injurii. Alioqui adeò non decere nos vllas in eos exercere inimicitias: vt orandum nobis sit pro illis, vtque omni beneficii genere sint nobis ad meliorem mentem provocandi.

Qui ecclesiæ præsunt, quo modo irritentur in veritatis Professores.

Sed cum consultum est satanæ, ita depravari hominum qualiumcunque judicia, atque mutuis inter se odiis exerceri: tum verò maximè consultum est, si hæc in ijs accidant quorum magna sit authoritas: vt in iis qui ecclesiis præsunt, aut qui adhibere vim possunt: vt in magistratibus, potentibusque omnibus. Atque ad ecclesiarum quidem pastores quod attinet, quo

sint

sint in veritatis professores, quandocunque excitetur aliquis; multo acerbiores, irritenturque promptius, plurimum in eo fuerit momenti, si ex depravata doctrina multum illi percipiant commodi ac veneration is in populo: vt quum in controversiam vocatur doctrina, de omni eorum statu lis eis moveri videatur. In magistratibus autem, cæterisque viris potentibus si quid ejusmodi esse possit, optimè quidem agatur cum satana. Sed illud maximè ad ejus rem facit, si persuasi sint, ita demùm probatum iri Deo eorum officium, si in iis quæ quid religionem attingunt, ad ecclesiasticorum pastorum nutum, accommodaverint sese, eorumq; arbitratu absq; vlla sua causæ cognitione sanguinem fundere nunquam non parati sint. Atque hæc quidem duo magna sunt satanici regni munimenta: videmus enim vt contra Evangelicam veritatem Romanum pontificem, cardinales, episcopos, monachos, alioſque ejus farinæ homines arment eorum potentia, dignitates, opes, commoda, quæ ex animorum nundinationibus percipere erant soliti: atque vt sæviant in nos eorum facti carnifices magistratus, principes & reges. Idcirco dum aliqua viget pietas, cavendum est populo, ne patiatur pastores suos quovis

Et qui Reipublicæ.

quovis prætextu aliquid instituere nundinationis: ne quidem ita, vt initio ipsi se non immiscеant. Futurum est enim, vt instituta quum fuerit, eam postea ad se rapiant: verùm hæc jam nimis sera cautio est, novissimo jam instante die. Sed magistratus qui alioqui, quocunque etiam tempore peccare vel gravissimè possent, monitos esse oportet, ne se faciant ecclesiasticorum pastorum carnifices: verùm sciant, quicquid fecerint, ejus sibi reddendam rationem esse: neq; auditum iri, si causati fuerint, ita sibi persuasum à pastoribus fuisse. Non enim præceptum illis est, vt vlli parerent hominum generi: sed vt legis volumen legerent ipsimet, indeque discerent quid in quaque re factu opus esset. Qua de re pluribus verbis est à nobis suprà disputatum.

Quoniamque haud potest satanæ regnum in tuto esse, nisi aliqua extet ratio qua detegantur, agnoscanturq; quicunque inferendo clam alicui damno sint idonei, velut erroribus patefaciendis, atque aliquo veritatis lumine importando, plurimùm ad id valet, si vna cum erroribus mos invaluerit aliquid ita vulgo faciendi, vt qui id faciant, qui minus haud difficile sit observare: idque sit ejusmodi, vt cum gravi aliqua Dei offensione sit conjunctum. Id genus

nus multa videre est in papatu: est enim ibi primo loco missa tanto in honore, vt nullam arbitrentur præstantiorem sanctimoniam, quàm si quis ei quotidie interfit: itaque nihil tam vsitatum cuiq; est, quam missę interesse: ex quo illud est, quidã quũ occurrit amicus amico, quo quidem tempore celebratur, vt de re quam nemo credatur prætermittere, ita eum interroget, audieritne missam: aut vbi audierit: aut velitne vna secum hoc aut illo in templo audire? Atque hîc quidem, si quis intelligat eam abominandam esse rem, ac satanæ inventum: aut se prodat, aut in suspicionem veniat, necesse est, vt deinceps quicquid dicat, faciat, penè etiam dixerim cogitet, obseruetur diligenter: donec tandem quis sit, compertum habeant. Ita passim erecta sunt simulachra, & Christi cruci affixi, & virginis, & aliæ quas venerari plerique omnes solent: in quo nisi quis communẽ imitetur errorem impietatemq; argumento id fuerit, eum haud sentire de religione cum cæteris. Ita sunt & alia multa: sed præcipuè illud institutum peccata quotannis in sacerdotis aurem exonerandi, qua occasione Põtificii exploratores illi expiscantur quicquid sua interesse arbitrantur. Quod argutissimum fuit inventum ad amplificandum

dum ſtabiliendumque illud Pontificium regnum. Vbi enim ejuſmodi ſint inſtituta, difficillimum eſt veritatem cognitam habere, neque protinus notari, rapiq; ad ſupplicia: aut certè, quod multo fit frequentius, Deum graviter, conſcientiamq; offendere. Itaq; quo minus, ſi fortè (quod avertat Dominus) rurſus aliquid invehatur in eccleſiam errorum, neque deſit ad eos vel invitis obtrudendum tyrannis, ejuſmodi aliquid denuò inſtituat ſatanas, quod ſit ad pios comprehendendos quaſi rete quoddam, aut in quo delinquere timidi in Deum cogantur, etiam atque etiam cavendum eſt. Atque error quidem omnis aut conjunctus eſt cum actione aliqua, vt imaginum cultus: & ne invehatur ratio eos qui ab illis abhorruerint notandi, aliter cavere non poſſis: niſi ne recipiantur ipſi errores, caveris: aut nullam conjunctam habent actionem: atque eos qui deteſtentur, illi alia ratione cognoſci non poterunt: quàm ſi ſua ſe prodiderint confeſſione, aut ſi recuſaverint receptos comprobare errores. Ac poteſt quidem eo ipſo tempore quo puriſſima ſit doctrina ejuſmodi inducì mos, qui poſtea illa depravata eundem ſatanæ vſum præbeat ad pios illaqueandos: vt ſi (quod alicubi jam fieri cœptum eſt)

à quocunq; exigatur ſuæ fidei confeſſio. Si enim adulteretur paulatim doctrina, moſque ille nihilominus retineatur, fiet vt tanquam nunc deprehendi fortè poſſint ea ratione qui impie quid ſentiant, vt excludantur ab eccleſiæ communione: poſtea ii deprehendantur potius, qui rectè ſenſerint: aut cogantur contra conſcientiam receptos errores, atque ab ſe cognitos ſuo calculo probare.

Neque verò nullam ego fidei confeſſionem recipiendam eſſe dico: ſed talem nolim, qua compellatur quiſquam vllius dogmatis mentionem facere, quod non ſit ex præcipuis Chriſtianæ religionis capitibus, ad ſalutem cognitu neceſſariis. Nam quæcunque extiterit controverſia, recens præſertim: quam ſententiam improbant qui præſunt: niſi quis eam damnet, non recipitur. Equidem de hoc inſtituto ſperare optimè non poſſum: vix enim video quid habere poſſit commodi, incommoda verò multa, ac valde quidem magna olfacere mihi videor. Quid enim quæritur diligenti hac confeſſionum exactione? Nempe vt ſi quiſquam in aliquo ſit errore, cogatur ſe prodere: quid tum vbi cognoveris, quid ea in re vtilitatis fuerit? Plurimum (inquies) ſiquidem erit ejus

Confeſſionē quæ à ſingulis exigantur, incommoda multa ac magna.

admonendi locus. Et si resipuerit, fratrem
lucrifecero: si pertinax fuerit, excludetur
ab ecclesia, ne alios corrumpat. Atqui vt
doceant qui errant, tali instituto nihil o-
pus fuerit. Nam si absit ab ecclesia tyran-
nis: & si fuerit in pastoribus cum magna
mansuetudine atq; humanitate vera con-
juncta charitas, & eruditio: qui aliqua in
re ab ecclesia dissentient, vltrò prodent se-
se: accedent, interrogabunt, rem in contro-
versiam vocabunt: sua proferent vel argu-
menta, vel è divinis literis testimonia. Neq
solutiones à charitate pariter ac solida e-
ruditione profectas recusabunt audire. Et
si dextre, humaniter prudenterq; res tra
ctentur, nunquam non vincet veritas.
Quòd si occupata jam tyrannis fuerit, tali
bus quidem institutis ad tyrannidem exer
cendam, nihil fieri potest aptius, nihil sun
aliud quam meræ conscientiarum lanienæ.
Sed quoniam plerunque tyrannis admo
dum speciosis ornatur titulis: ac sese veni
ditat pro legitima ac salutari ecclesiæ gu
bernatione, agendum est cum tyrannis tan
quam cum talibus quales videri volunt
aut fortè sibi etiam videntur: non enim ill
soli sunt tyranni, qui animo ac proposito
sunt tyranni: sed illi etiam qui per impru
dentiam falsa aliqua boni specie decepti
fratre

fratres suos premunt quovis servitutis genere: ac sua in eo abutuntur authoritate. Age igitur, videtur pernicioſa esse in eccleſia ſententiarum libertas: itaque eam esse non pateris, conſultumq; arbitraris, diligenter inquirere, ſi qui fortè perperam aliquid ſentiat: vt aut ad veritatis confeſſionem pertrahantur, aut excludantur ab eccleſia: adde, ſi placet, etiam vt vita priventur: atque eam ad rem commoda videtur ratio, vt ejuſmodi exigantur confeſſiones. Veriſimile eſt igitur, ſi quid immineat vel periculi, vel ignominiæ ab eccleſia quavis in re diſſentientibus, pleroſque libenter ſuam celaturos ſententiam. Quare ſi confeſſionem facere poſſint, qua id quod celare cupiunt, non exprimant: ſive nulla ejus rei facta mentione, ſive adhibitis verborum involucris, quibus aliud exprimere videantur, & exprimant, quod volebas aſſequutus non fuerit, quòd ſi neceſſe ſit id exprimere, tunc ſiquidem dejecto ac timido aliquis fuerit animo, quid fiet? Teſtabitur ſe credere quod re vera non credit, & videtur ſibi aſſentiri falſo dogmati, Deum profectò offendet. Et ſi tanti res non ſit, quin potuerit cum errore illo ſervari: ea conſcientiæ carnificina in ſalutis conjicietur periculum. Multo autem gravius

Opinionum de Religione modeſta libertas, regno Satanæ imprimis adverſatur.

peccatum fuerit, si error quispiam is sit, cui in pastorum gratiam assentitus fuerit, & gravis. Vt si ad magnam pertineat Dei gloriæ imminutionem. Sin magno sit vir animo, ac Dei timore præditus, ille quidem subiturus sit potius periculum omne, quàm mentiturus. Quare si animadvertatur in eam, atque is constanter mortem perpessus fuerit, papè quàm multos faciet discipulos sanguis ille? Sin subduxerit sese, cogaturq; patria, fortè etiam conjuge ac liberis, & bonis suis carere: quæ odia existent in ecclesiam? Quæ jaciet in eos qui præerunt maledicta? Quàm enixè conabitur (asylum aliquod vbi nactus fuerit) suam probare sententiam? Ecclesiæ autem, vnde ejectus fuerit, doctrinam convellere? Ita accedent diversa hominum studia, secta paulatim crescet, pullulabunt errores ijs quibus supra dictum est rationibus, absq; modo: & res inducetur in ecclesiam pernicioßissima: summa acerbissimaq; discordia. Compertum est autem, & ipso rerum vsu, & certissimo ejus testimonio qui neq; falli poterat, neque fallere: nullum esse regnum tam firmum, nullam domum tam stabilem, quam non dissidia eversura sint. Ita cum jam inde à primordio ecclesiæ tam multæ, tam frequentes, tam acerbæ in e-

sempe

mper sectæ, rixæ, discordiæq; fuerint: tan-
em collapsa maximæq; luctuosa sequutu-
ruina est. Quorum malorum præcipua
propemodum vna causa fuit, quòd pro-
ter quamlibet etiam levem dissensionem
ij alios condemnarant, atq; in sectas divi-
erentur. Quare si nostros in eo imitemur
ajores, quis dubitet vix dum paululum
stauratæ ecclesiæ denuò summum immi-
ere exitium? Præstat igitur multo, nullis
cogitatis aut legibus aut institutis qui-
us aliquando illaqueari ho minum possint
onscientiæ: simplici fidei confessione, quę
la necessaria religionis complectatur ca-
ita contentos esse: ad alia verò dogma-
quod attinet, qui sua sponte emergent,
rodenturque errores, eos commodis ap-
ositisque demonstrationibus convellere.
Cordium arcana Deo permittant pasto-
es: ne vsurpent sibi animorum imperi-
m: neque ad leges vllas condendum a-
imum adjiciant. Vnius illud Dei est mu-
us qui solus certò videre potest quæ bo-
a, quæve mala ex quoque instituto mana-
e possint: homines absque divini verbi
mine ad suam deflectere prudentiam,
uin sumpta satanas cœlestis angeli
ersona consultorem se adjungat, ne tan-
illum quidem possunt. Quæ initio sugge-

rit satanas, quid habeant veneni sæpe ne o-
culatissimus quidem aliquis animadverte-
rit: sed, quemadmodum diximus, nascun-
tur occasiones: fitq; indies accessio aliqua
vt quam rem initio jurasses nihil habere
posse incommodi, ea demum in horren
dum aliquod monstrum evasura sit. Si di
die in diem oriantur in ecclesia controver
siæ (vt nunquam non otiuntur conversa ii
curiositatem pia divinæ legis meditatione
crescet etiam dogmatum, quæ fidei articu
los vocant, numerus. Neq; forte meliore
semper amplectetur partem ecclesia; qua
2 Thes. 2. ob causam homines soleat Deus *seductor*
spiritus permittere libidini, eamq; justis
mam, salutis videlicet incuriam, eam ne
deesse, certissimè videmus propemodu
in omnibus. Quidni igitur denuò exp
ctanda sit vindicta, cæcitas scilicet, ac ter
bræ? Immò verò quum veniet Domi
humanum genus judicatum, prænunci
est, vix vllam reliquam fore fidem. Vbi
servatum fuerit, non paucos post edit
suæ fidei confessionem in errores labi,
stituetur fortè vt sæpius repetatur: ad
tur fortè etiam juramentum. Sed quis
ciatim, quid excogitaturus sit satanas, d
naverit? Optima omnium cautio est, in
pore novum nunciare opus, atque ade
jacia

jaciantur fundamenta, prohibere: sed agè arrideat rationis judicio. At Dei verbum non profertur clarum, & certum. Apagesis igitur cum isto tuo rationis judicio: satanæ instrumentum istud est, ipsaq; pernicies non ad vllum salubre consilium adjumentum: sed vrges tamen adhuc: Si propter incommoda quæ ex bonorum institutorum accipi abusu possunt, rejicienda sint, ne æneum quidem serpentem fuisse in deserto erigendum, cui postea divinos deferre honores populus cœperit: neq; Dominica institui cœna, quæ postea in tantam sit conversa abominationem: quod de aliis multis dici eodem modo possit. At quis tu es, qui cum Dei factis tua conferre audeas? Sed respondeo tamen: Deus quicquid instituat, novit quid faciat: quid boni, quid mali sequuturum inde sit, exploratum habet. Ac quamobrem tamen hoc aut illud malit, certa illi constat ratio. Et omnia illius sunt, vt jure optimo suis rebus suo vtatur arbitratu: neq; cuiquam jus, fasue sit eum interrogandi, quare quicquam faciat: nos autem talpis sumus cæciores: quibus nec licet de rebus alienis periclitari: neq; aliena in alea audaces esse. Immò verò jussi sumus nostro non vti judicio in ijs quæ quoquo modo ad ejus cultum pertinent.

Itaq; si nihil aliud sit peccati, hoc certè fuerit non leve: si acquiescere huic mandato noluerimus, ne cognitis quidem tot ingentibus malis, quæ sibi posteriſq; pepererunt majores nostri: dum instituta, ritus, leges excogitandi finem faciunt nunquam. Proinde faceſſat, faceſſat tandem, abeatq; maximum in malum antiquus ille serpens, nostra videlicet stultissima, ineptissima, maximeq; temeraria prudentia. Quæ porrò Christianæ religionis capita necessaria sint cognitu, Secundo libro demonstratum est.

Tandem etiam, si non ad tuendum integrum regnum, at saltem ad retinendas, quicquid acciderit, reliquias aliquas plurimùm satanæ videtur expedire, vt nullam prorsus rem non aliquo modo sui juris faciat impietatis ei impressa nota aliqua, vt quoquo te vertas, versetur aliquid ante oculos. Vix verbum proferre possis, quin consuetudine corrupta lingua ei quodammodo sacra faciat, non aqua, non aer, non ipsum tempus sit, non alia res vlla, in qua ejus regni perpetuò insigne non maneat aliquod. Neq; cavere, quominus hæc fiant quisquam possit, nisi in tempore vigilent pastores, & viri pii, prudentesque alii, ne impetratam veritatis lucem sibi eripi denuò patiantur.

SATANÆ

SATANÆ STRATAGEMATVM

LIBER SEPTIMVS.

SEd tandem rerum potitus vbi est satanas, atque omnibus quibus potuit munitionibus suum firmauerit regnum, sic vnde veri vlla illuceſcat ſcintilla, ne penetrare eo poſſit, quibus artibus caveat, quibus repellat infenſiſſimos ſuos hoſtes veri aſſertores, & quæ ſit tamen eius debellandi ars, ſequitur vt diſſeramus. Ac magni quidem negotij non eſt, quem in ſcopum ſatanas mentem, oculos cogitationeſque omnes defixas habeat, cognoſcere. Vellet nimirum receptos errrores omnes in hominum animis firmos hærere. Quod ſi neceſſe ſit aliquos detegi, vt perpauci eſſent qui eos agnoſcerent: tum autem etiam vellet, qui errores innoteſcerent, eorum in locum non veritatem ſuccedere, ſed errores alios, aut divinarum rerum omnium incredulitatem. Quæ credere pios oportet: eorum nihil, aut certè minimum vellet patefieri, & ſi quid patefiat, vt id ad quampaucissimorum veniret noticiam: vtq; fundamentum

Ne eijciantur errores, ne intret veritas, quo pacto conetur ſatanas.

damentum nanciſcerentur infirmiſſimum, neque poſſit conſiſtere. Cumque detegi neque errores, neque ea quæ credenda ſunt poſſint: niſi ſint & qui detegant,& quibus detegantur: vellet ipſe profecto neminem eſſe neque qui detegere, neque cui detegi quicquam poſſet.Homini autem,vt faciat aliquid, neceſſe eſt ſcilicet eum & poſſe & velle id facere. Quod ſi aut nequeat, aut nolit, id ille quidem nunquam fecerit: atque vt alterum docere quid poſſis: neceſſe eſt primum vivere te, poſſeq; ibi eſſe vbi ſint qui te audiant: aut poſſe te tua mittere ſcripta quæ vocis ſuppleant officium,ad hæc neceſſe eſt te antè ſcire quod alios ſis docturus: cum nemo poſſit alios quæ ipſe neſciat, docere. Ne ſit omnino quiſquam vllo tempore qui errores, veritatemq; cognitam habeat: aſſequi adverſarius haudquaquam poteſt: multo enim maior eſt divina vis ad docendos quoſcunque vult:quam vt intercedere hoſtis poſſit. Sed conatur ille quidem tamen ea ratione qua depravari,corrumpique religionis doctrinam diximus, ac quanquam nec facere quidem poteſt omnino: ne qui ad patefaciendam veritatem miſſi à Deo fuerint, & vivant, & doceant eos quorum gratia miſſi fuerint: id tamen vt aſſequatur, nihil ſibi

reliqui

reliqui facit. Proinde quamprimum cuiuſpiam oculis affuiſiſſe aliquid lucis intelligit, interitum ei quacunque ratione poteſt, machinatur: ſed alia ſi deſit ratio: vt per magiſtratum id perficiat conatur. Opus eſt autem, id vt fiat, eum cognoſci; at qui patefaciendæ veritatis cauſa miſſus fuerit, eum cognoſcere haud fuerit difficilè: quippe qui tacere, ac ſuos celare theſauros non poſſit. Quod ſi os aperiat: non deerit qui quamprimum deferat: ſin cautius id fecerit: at certe cum detexerint ea inſtituta quę erunt ad ſatanici regni munimentum (vt diximus) comparata, vt inter Pontificios, niſi interſit miſſis, niſi veneretur imagines, & alijs eiuſmodi indicijs: inter quæ illud haud poſtremum obtinuerit locum: ſi, quo tempore piè ſentientium aliquis ſit numerus, eorum aliquo præſente de ijs tanquam de hæreticis maximis ſit ſermo: multaque per ſummam calumniam in eos dicantur: neq; is ſuos etiam emittere contumeliarum aculeos auditus fuerit: aut certe niſi ad argutiſſimum quodq; maledictum ſuos cum alijs miſcuerit cachinnos: tum verò multo magis, ſi vno verbulo auſus fuerit innocentes à calumnijs nonnihil eximere: quaſi vero quum talium fit mentio, nemo non irruere in eos omni debeat maledicti

atq;

atq; iniuriæ genere. Cumq; haud licere possit cuiq; de populo manus in aliquem injicere: quorum est in facinorosos homines animadvertere, aut speciatim in hæreticos: per eos id fiat necesse est. Neque sane vnquam tanta invalescere barbaries feritasq; potest, vt magistratibus absq; vllius causæ colore fundere sanguinem liceat minimè diu alioqui certè regnaturis, quin immo videri oporteat reos alicuius delicti morte digni convictos. At vero si ei qui seduxisse populum dicatur, daretur sui defendendi copia, cum tanta sit veritatis vis, quanta est: cum impostoris collata non posset non agnosci, certissimumq; satanico regno crearetur periculum. Quocirca omni eiusmodi subterfugienda satanæ collatio est. Sed tamen quominus iniustè quicquam fieri videatur, satis est hæreseos aut sectæ componere nomen, aut vetus aliquod vsurpare, idq; damnare, ita Lutherum initio dicebant renovare Iohannis Hussij & Viclefi errores. Quiq; Evangelicam amplexi sunt veritatem, à Luthero Lutherani sunt postea dicti: itaq; quisquis doceatur Lutheranis dogmatibus fauere, id maiore causæ cognitione, quin concremãdus sit, opus esse non videtur, ac quominus curiose inquirat populus, quam iusta

adsit

adsit hoc genus hominum morte multandi causa: immo vero eorum applaudat supplicijs, plurimum ad rem facit: quod secta ista, quam appellant, fœdissimis quibusq; laboret infamijs tamq; malè audiat, vt ne nomen quidem proferre sine stomacho possint. Id vero assequuntur calumniandi artibus. Ita nascentis ecclesiæ tempore dicebantur Christiani noctu conuenire, lucernisque extinctis incertæ Veneri fœdissimè indulgere: quæ calumnia in renascentis etiam ecclesiæ Christianos improbissimè renouata est: aliæq; insuper additæ, quod omni libidinis generi habenas prorsus remitterent, quod actionum operumq; differentiam tollerent. Quomodo quisq; viueret, siue ad Dei præceptorum normam aliquis suam componeret vitam, siue quidvis sibi permitteret: perinde esse docerent, ac quibuscunq; rebus possunt, summam nobis conantur inuidiam conflare veritatis hostes: qua ab omni inquirendi cogitatione, quæ nam re vera, qualiaque nostra sint dogmata, dimoueant. Atque vbi is sit rerum status, vt qui religionis sibi curam vendicant, ijdem gladio sint armati: quemadmodum sunt Romæ multisque locis alijs: ipsimet in Dei seruos animadvertent. Atque ita animadverterent:

vt

vt, nisi stupor maximus hominum occuparet mentes, facilè apparere possit, quo ducantur spiritu: verum vbi aut rex imperet aliquis, aut quiuis alius magistratus, vt idem fiat, impetrari à magistratibus oportet: sed ita, vt nullus sit causæ dictioni locus: quod vt impetrent, ijsdem calumniandi artibus est opus.

Ne sint vlli qui doceant, calumnijs tales aggreditur.

Ea est autem calumniatoris ars, vt cum falso accuset quempiam, ita eius apud quem accusat, vtranque occupet aurem, vt accusatus obtinere vllam partem neque-at: sed vt si certissima justissimaq; accusatio: ita damnetur, nunquam facta coram æquo iudice dicendi copia. Quod vt contingat, multa concurrant oportet: ipso in calumniatore authoritas magna: in eo apud quem accusant, magna earum rerum de quibus agitur ignoratio: & circa res eas quas plurimi faciat, summa suspicio: in ijs qui accusantur summa inopia, omniumq; contemptus: vt nemo ne vno quidem verbo fauere eis vel dignetur, vel audeat. Calumniatoris authoritas duas habet partes. Vna est, vt ea videatur tum innocentia, tum sanctitate, qui neminem vnquam iniusta gravatutus accusatione esset. Altera est, vt ea videatur sapientia, vt non possit in cognoscendo eius quem accusat crimine

mine hallucinari. Generaliter quemadmodum eaiam improbis ecclesiarum pastoribus accederet authoritas, dictum supra est. Sed eam præcipuè apud principes, aliosque magistratus confirmant (vt missas faciam assentandi, adulandi, & id genus artes alias) simulata insigni sanctimonia, muneris quod sibi vsurpant, nomine. Illud constat, vt quidque longissimè abest, ita minime aspici: procul autem abest à principis oculis cuiusque vita: quippe qui regenda suæ amplitudinis mole occupatus, observare vt quisque vivat, quoue sit ingenio, non possit. Neque sane quicquam dicere potest, nisi ex suorum relationibus: quibus persæpe non secus atque ipsimet principi fit fucus, multi etiam muneribus gratiaque corrumpuntur. In ecclesiasticis igitur pastoribus, eorumque adiutoribus videre princeps potest vultum, gestum, habitum, orationem ad authoritatem, gravitatem, sanctitatisque simulationem diligentissimè compositam: nihil præterea. Vt scelestum vllum consilium latere sub tam speciosis tegumentis posse nullo pacto sit verisimile: præsertim si princeps ipse animo sit candido: vt plerunque solent qui præclaris orti sunt natalibus. Eiusmodi etiam homines satis exploratum habere, quid

verum

verum in religione sit, quid falsum, quid pium quidue impium propter eorum professionem, rem subtilius non excutientibus dubium esse non potest. Eos etiam cuiusque factum antè quam deferant, plenè diligenterque cognoscere propter eam quæ de eorum tum sanctitate, tum sapientia habetur, opinionem, nemo vel tantillum suspicatur. Vt ignari sint principes rerum earum de quibus accusantur Dei serui: ea præcipuè facit opinio, quod ad eos non pertineat religionis cura, ecclesiæque administratio, sed ad ecclesiasticos pastores tantum, ita enim persuasi, neque vllam navant operam divinis literis, neq; vllis religionis controversiis audiendis vacare volunt. Sed quicquid persuadent eis pastores, faciendum esse, cum diligenter exequantur, adeo numeris omnibus suum se implere officium arbitrantur, vt quid præterea optes, non sit. Quoq; melius omnia suo calumniatores moderentur arbitratu, nihil minus fecerint vnquam, quam vt regem, aut magistratum alium quempiam ad diuinorum scriptorum lectionem meditationemque hortentur. Suspicioſi sunt autem principes potissimum circa fortunarum suarum amplitudinem, dignitatem atque imperium. Quare si quid receptorum er-

rorum

torum attingatur; id qui ausus sit, protinus defertur, tanquam qui in præsentem reipublicæ statum machinetur aliquid, seditiones motusque cogiter. Ac quominus contempti eiusmodi homines habeant qui suam audire velint causam, eisdem artibus insidiantur principum familiaribus, quibus principibus ipsis. Quapropter cum soli veritatis hostes audiantur, summaque eis adhibeatur fides: tot probris, convicijs, contumeliis, suspicionibus Dei seruos onerant, vt in summum eorum odium atque perniciem, & principes, & totum terrarum orbem inflamment prorsusque in furorem adigant: tantaque calumniæ vis est, vt fidem cogitationemque omnem infinitis partibus vincat. Quid? Cum Christiana religio tam honesta contineat vitæ præcepta: fuerintque primi Christiani moribus sanctissimis, emendatissimisque: quanta tamen molis fuit obtrudere Rom. imperatorum auribus, fidemque facere, quod Christiani haud seditiosi essent homines, neque vlli flagitiosæ vitæ generi dediti: quinimmo (id quod erant) & principibus obsequentissimi, & vita maximè inculpata? Sed mittamus ea tempora: nimis enim revera abhorrebat à rationis judicio, quod persuadendum illis erat: ho-

minem ſupplicio affectum Dei filium eſſe, atque adeò Deum. Quid noſtra accidit ætate? Sunt iam anni plus minus quadraginta ſeptem, quum cœpit Lutherus contra Romanam eccleſiam docere: eiſdem vtimur Scripturis divinis quibus ipſi Pontificij. Sed contendimus, non doceri in eccleſia illa, ea dogmata quæ ſunt Scripturis ſacris conſignata, ſed quæ illis maximè repugnent. Ad ea provocamus: documenta quæ ipſi ſumma fide digna eſſe, ne audent quidem negare: ad ipſa videlicet Dei oracula, nunquam ceſſarunt noſtri per hoc tempus loqui, clamare, ſcribere, libros edere, & quid non facere? Ipſa etiam experientia docet, vbi receptum ſit Evangelium ibi eoſdem imperare qui imperabant antè, neque per nos vlla eſt facta mutatio, nec tentata, immò ne ſomniata quidem: nec dum tamen extrahi ex principum animis potuit hæc calumnia, quod ſeditioſus ſit mus populus, principibuſque atque omnibus honeſtis inſtitutis infenſus, multo autem minus aſſequi, vt vel ad eorum ſem perveniret aures, quid re vera velimus quid moliamur, quo ſpectemus, quis noſter ſit ſenſus. Calumniæ igitur vi dementati qui cum imperio ſunt, ad eos oppr mendos, qui patefacere veritatem volun

ferun

feruntur, hic autem vna ſententia, vnumq; iudicium in omnes valet, veritati hæreſeos (vt dixi) imponitur nomen, vt Lutheranæ, aut aliud quodpiam, error veritatis orthodoxæ, aut catholicæ nomen obtinet. Ita, ſi quis ab errore quopiam abhorrere, & veritati favere præſeferat, hic diſputandi non eſt locus. Cum dicto ignes ſunt parati, quoſque nequeunt comprehendere, præ metu eos fuga cogunt ſibi conſulere.

Sunt autem calumniatorum duo genera: vnum eorum quibus ſuuſmet animus teſtatur eos mentiri, ac calumniari: quod genus fuerunt ſenes illi Suſannæ accuſatores, & Ioſephi domina: alterum eſt eorum qui non prorſus ſe calumniari intelligunt: ſimiliterque hallucinantur, vt ij quos diximus ſuaſmet non recte cogitationes, & conſilia intelligere. Hique duas rurſus dividuntur in partes, quidã enim etſi inrelligunt illi quidem ſe mentiri, & cavillari aliquid, dignum tamẽ putant eum quẽ accuſant, qui opprimatur: & cùm veris accuſationibus convincere nequeant (quaſi verorum criminũ teſtes deſint tantum) non habent crimini, ſi falſis eum gravent, ac falſis convincant teſtibus. Immo vero videntur ſibi & ſanctè facere, & magna digni laude. Alij, & ſi nõ omnino

nino intelligunt se mentiri quicquam: ta-
men cum odijs accensi ad accusandum de-
scendant, quia veritatis assertores eorum
minuant dignitatem, commoda, lucra: si-
mulatam patefaciant sanctimoniam: fucum
sibi ipsi faciunt: vt non videantur sibi suam
rem agere, sed Dei. Huius generis necesse
est fuisse multos eorum qui Dominum
sunt insectati: quippe *qui* (vt ait Apostо-
lus) *si gloriæ Dominum agnovissent: eum
cruci affixuri nunquam fuerint*. Illud pet-
suasum habeo: calumniatorum genus hoc
quod vel sibi fucum facit: vt suo genio in
dulgens Deo sibi videatur immolare: im
manitate multis partibus omnes vincere
alij vix videntur tantum amare posse su
commoda, honores, dissolutum vitæ ge
nus: vt qui impedimento in ijs esse eis vi
dentur: quæ odia in eos suscipient non ali
quem videantur habitura modum. Sit cer
tè in illis si non humanitatis scintilla, a
tandem certè satietas. Hi quo plus viden
fusum sanguinis, eo maior eius ardentio
que fit sitis: hic satanas quantus quantu
sit, patefacit sese. Sint documento recen
tes Gallici motus, & inaudita post hom
num memoriam quam in illis satanas exe
cuit feritas. Neque vero in solo Iudaico po
pulo tales extiterunt calumniatores qui

impotent

mpotenter in Prophetas, in Dominum ipsum, inque Apostolos furerent: neque sunt hodie inter solos Pontificios: vix vnquam tam bono loco est ecclesia, quin tales aliquot in sinu alat serpentes tantopere semper non apparet virus: quia non semper aperta est ad omnem sæuitiam via: non semper est ad manum carnifex. Sed tamen cui sunt oculi, ij non difficulter ex vngue (vt dicitur) leonem: in quocunque sit vlla animi elatio, avaricia, suaviusculæ vitæ amor: si coniuncta sit vlla sanctimoniæ opinio: qui quid horum vel summo digito attigerit: experiatur certissimè suos omnem ætatem, omnemque locum habere pharisæos. Quid multis moror. Vix quisquam non suo pectore ipsum gestat Pharisaismum: vt explorare se ipse debeat, immo vero necesse habeat quilibet ne fortè quod in altero abhorret, detestaturque, ipse eodem laboret vitio: alioqui, si non desit occasio, Pharisaismum suum certissimè aliquando proditurus. Quo tempore caruit ecclesia talibus monstris: cum Apostolorum tempore in ipsis piorum cœtibus non deessent? Quidam certè Diotrephes eius farinæ homo, eo etiam opinionis irrepserat, vt Iohannem Apostolorum excludere à cœtu posset: & dubitabimus ætatem omnem Ioan 3.

nem ſuos habituram: cum ſuis illa non ca-
ruerit? Ne putemus ſolis Iudæis dictum ill
lud verbum: *Væ vobis qui prophetis ſepul*
chra exædificatis: cum veſtri eos maiores au
necem rapuerint: dictum eſt enim omnium
ætatum hominibus. Semper enim verum
& illud verbum eſt.

Sed nemo videt manticæ quod in tergo eſt
Illud autem maximè omnium conantu
calumniatores omnes: vt nulla admiſſa cau
ſæ dictione, ſua ſit inſtar certiſſimæ probā
tionis authoritas, hinc eſt illud: Niſi eſſ
hic peccator, nunquam eum ad te adduxi
ſemus,&; Eſt nobis lex quæ vt moriatu
exigit,& accuſatores cum ſint, volunt ſim
teſtes eſſe, hunc (inquiunt) offendimus p
pulum ſeducentem.

Sed quominus velit aliquis ea docer
ac patefacere quæ novit, ſi facere qu
quam poteſt, facit eorum exemplum qu
viderit peſſimè tractatos ſimili de cau
Facit etiam altera ex parte eorum comm
dorum, honorum, aliarumque rerum rat
quas ineptum hominis ingenium plus
quo æſtimat, ita fit vt quidem mortis
riculo perterriti, earumque rerum iact
quas nimium amant, id quo donati à D
ſunt lumine abſcondant: quare qui v
tati opprimendæ dant operam, partim

ilijs, bonorum rereptionibus, ignominijs, sæuissimisque supplicijs metum incutiunt: partim ad impietatem amplissimis præmijs propositis alliciunt: capiuntque vt hamo pisces. Sed tamen qui veri lumine donati fuerint, non tantum vt ipsi videant: sed etiam vt doceant, non facilè patientur se hisce rationibus ab suo abduci munere: nam vt contemnant & terriculamenta illa omnia, & quodcunque impietatis sceleriſque præmium polliceri satanas possit, cogitabunt etiam atque etiam cuius destinati sint militiæ, quanta res sit, quanta, quam certa, & quam etiam diuturna proposita sint præmia. Ita enim secum ratiocinabitur quisque: Eho, quid hic est quod hæreas? quod cunctéris? Non in mentem veniet cuius destinatus sis militiæ? Is nimirum est qui mundum reſque omnes tum creauit, tum gubernat infinitis partibus maiore & potentia, & sapientia, & bonitate, quam vt complecti eam vlla possit cogitatio. Quod si ambitiosus es, si honoris cupidus: quid vel fingi possit præclarius: quam tali militare Domino? Quis autem dux belli? Quis nisi vnigenitus Dei filius? Quid est quod optes amplius? Est ne autem de victoria quod dubites? Atqui illa in tui est imperatoris manu, cuius votis re-

sistere potest nihil: atque ita nihil vt ne capillus quidem perire tibi possit citra eius cui militas voluntatem, capillorum ille tuorum omnium numerum tenet. Quod si cadere quosdam è suis patitur, haud id facit exiguo in eos amore, aut incuria: constat illi tam sapientissimo, quam nostrum amantissimo iustissima, grauissimaq; quamobrem id faciat, causa: sed non deest ei ratio, quomodo quicquid id videatur mali, cumulatissimè compensęt, & quamprimum. Qua nam autem re? Non ille quidem aliqua pecuniæ summa, aut re alia eiusmodi brevi peritura, sed sempiterna vita, eaq; beatissima. Quid ni igitur optimo sis animo? Ac vide quanam de re certetur: vter videlicet regnare debeat: Deus ne, an Satanas? Sępe viri fortes patriæ amantes, nec ea in hostium veniret potestatem fortassis etiam nihil peius habitura: vitam suam certissimis periculis, promptissimis exposuerunt animis. An tu igitur ne satanæ hosti crudelissimo siue patria, siue humanum genus omne seruiat, atq; æternum seruiat, non ei pari alacritate vitam quæ necessitati debetur, donare potius, quam reseruare naturæ malis? Præmia quæ sint proposita dictum est, sunt autem eiusmodi vt eorum amplitudinem neminima quidē parte ve-

expri-

exprimere oratio, vel complecti cogitatio possit vlla. Militiæ similiter id genus est: vt si modò sapientissimo tuo, optimoque parueris imperatori, vel si occumbas: tamen non victor esse non possis. Quid? Annon ipsemet Dei filius sic olim Satanam è suo dejecit regno? Victus, ac neci traditus vicit. Te ne igitur vel pigeat, vel pudeat eadem vti conditione qua ipse tuus imperator, ac tantus imperator vsus olim fuerit? Sed victoriam præcedunt dedecus, ignominiæ, cruciatus: ita est. Sed eo etiam major futura est triumphi gloria: cumque illa vnius sint momenti, hæc perpetua æternaque est futura. Sed ad cogitationes ejusmodi ardentes, assiduæque addentur ad Deum preces, quibus invictam hanc assequaris animi magnitudinem. Certum est enim, contingere eam nemini posse, nisi à Deo impetratam. Neque sanè calumniam satanicæ ministram sævitiæ facilius admodum sit effugere, quàm ipsam vim ferendo, contemnendo, tempus locumq; prudenter patienterque expectando repuleris. Quod si suppliciorum, ignominiarumve metu perculsus aut perfidiæ captus præmiis ad veritatem restituendam quum posses, tuam commodare operam recusaveris, impellentique spiritui restiteris: væ tibi, quantam

tam gloriam cum quanta judicii ſeveritate commutaveris. Satius fuiſſet multo, in lucem editum te fuiſſe nunquam. Sed ſi ſint qui docere & poſſint alioqui, & velint: nec ſint tamen qui velint audire, multa faciunt.. Primum autem illud eſt: quòd ſemel collapſa diſciplina omni homines indulgent ſuo quiſq; genio. Alii voluptates aucupantur: alii congerendis opibus inhiant: alii ad inanis cupiditatem gloriæ accenduntur: atque vt fiat quiſque ſui voti compos; nihil prætermittit: æqui ac iniqui, honeſti turpiſq; ratio eſt nulla. At verò qui ita corruptis ſunt moribus, ad ſanctam piamque omnem monitionem ſurdi fuerint. *Non eſt enim* (inquit Solomon) *ſapientiæ in pravum animum aditus.* Maximo deinde eſt impedimento: quòd in erroribus ſint nati, atque educati. Quod quidem ad naturam ad errores per ſe maximè proclivem cum acceſſerit; fit, vt nihil videatur veritate abſurdius: vtque ferre vera dicentem nequeant. Tum autem accedit opinio quædam: quod in religionis mutatione ſit periculum: tutum autem conſilium, majorum non deſerere veſtigia. Quod abſque dubio perſuaſiſſimum habent ii, qui arbitrantur, ſi vllo tamen in errore verſarentur, id non ſibi, ſed paſtoribus ſuis fore fraud

Sed id agit maximopere vt populum in receptis erroribus obſtinatum reddat.

quòd

quòd si rebus novis aures patefacerent, seducerenturque: & suam fore culpam, & se daturos pœnas. Quod periculum eò etiam videtur illis majus: quo plus temporis laborum sumptuumq; opus esse ad consequendam divinarum rerum certitudinem opus esse arbitrantur. Accedit illa persuasio: quòd quæ veniunt in controversiam, & aliàs sæpe oppugnata à diversis hæreticis fuerint, optimeque defensa à viris videlicet summa sanctitate, summaq; sapientia præditis, vt jam pro rebus judicatis habeant. Accedit denique illud, quòd in rebus æstimandis ineptissimo suo hominis vtantur judicio, atque illis regantur indiciis quæ suprà recensuimus. Non enim probari eis possunt ea dogmata quæ hominis non tantùm judicio, sed etiam votis repugnent maximè. Quæ majorum, multorumq; ætatum, ac nationum damnent judicium: quin etiam plurimorum hominum sapientiæ nomine clarissimorum. Quo in numero fere habentur qui ampla vtuntur fortuna, quosque isti ipsi evehunt, plurimique faciunt: sed ii maximè quibus vetustas authoritatem addiderit. Sed neque vera videri illa possunt dogmata, quæ qui amplectuntur, iis protinus quamplurimæ maximæq; paratæ sint afflictiones: fiantq; (vt quidem videtur)

detur)tam Deo quàm hominibus exosi. Eaq; tandem dogmata quæ non publicè tradantur, sed clam in angulis, ac quasi furtim in hominum aures instillentur: præcludunt etiam veritati aures, quum in nefandum hæreseos nomen, quo est infamata, odiis præoccupati sunt ante, quàm quid dicatur, noverint. Quod quibus rationibus contingat, dictum jam est. Sed & in timore qui ex edictis animadversionibusq; cõcipitur eorum, qui cum assentiri rebus novis (vt videntur) voluerint, sævissimis affecti fuerint suppliciis, plurimum est positũ, neq; ea solum ratione quòd præsentem tranquillitatem veri cognitioni gloriæque Dei præferant, sed ideo etiam, vt magis hæreses esse videantur illæ, quas tanta insectantur sævitia. Nam (vt dictum jam est alibi) quod homines nollent, id etiam ægrè sibi persuaderi patiuntur: quoniamq; neq; subire æternam vellent damnationem veritati resistentes, neq; etiam dogmata illa amplecti quæ sibi illicò maximarum calamitatum futura essent causa, nisi eis Deus magnam vim faciat, adduci vt ea vera esse credant, non possunt. Sed illud maximè ex omnibus homines obstinatissimis animis veritati reluctantes, prorsusq; surdos facit: quòd apud eos tam Evangelium, quàm

qui

qui illud profitentur, pessimè audiant. Evangelium quidem, dum hæreseos nomine infamatum alia continere dicitur, quàm revera contineat: veluti omnis libidinis, impuræque vitæ licentiam, aliaque ejusmodi, professores, dum impuræ, omnique vitiorum genere contaminatæ vitæ accusantur, dum dicuntur non eadem sentire omnes, neque convenire inter se, verùm esse quot capita, tot sententias. Sed in eos debacchantur præcipuè qui docendi funguntur munere, quòd sint imperiti, arrogantes, temerarii, animis corruptissimis, quòd non Dei gloriæ studeant, sed omnia humana & divina jura evertere, omnes justi & honesti, omnes pudoris leges effringere invidia odioque adducti conentur. Vt de Luthero apud Pontificios fama est, quòd ob id quòd impetrare Cardinalatum (vt vocant) non potuerint, Romanam in ecclesiam insurrexerit: id quod & de quibusdam aliis est dictum. Quæque jaciuntur in eos probra, partim nihil prorsus habent veri, sed per summam excogitantur calumniam, partim etiam habent illa quidem veri aliquid, sed præter quàm quod de suo addunt calumniatores, perperam etiam interpretantur. Nam ad opinionum tantam discrepantiam quod attinet, verum quidē est, inter eos quos impii vno appellant no-

mine quamplurimam esse, multiplicesque dissensiones. Sed quid tamen istud est? Nisi quòd, quamprimùm aliquid Evangelicæ veritatis restituitur: vt eam infamem reddat satanas, eique fidem adimat, multas absurdasque hîc illic serit opiniones, lolium scilicet inter frumentum, & multas conflat sectas? Quibus commune aliquod cum Evangelica professione imponit nomen. Quare cum illa quidem opinionum multitudine nihil cum Evangelio est commune, neque ad vllam justam ejus pertinet infamiam: faciat enim satanas quantam, quamque multiplicem lolii sementem voluerit, nunquam effecerit tamen, quin frumentum sit frumentum. Sed illud tamen & contingere potest, & contingit, vt quanquam aliqui de præcipuis religionis capitibus rectè sentiant, in nonnullis etiam, sed minimè tamen ejus ponderis, errent: alius in alia, itaque etiam inter pios Dei servos aliquid sit dissensionum. Sed quis mirari satis possit? Si sint in vna quapiam civitate viginti, aut triginta hominum milia inter quos de religione summa sit consensio, quinque, aut sex dissidebunt inter se. De tanto illo idem sentientium numero vix vlli erunt sermones: de paucis illis vagabitur fama: atque ita in hominum voculas con-

jicientur

jicientur, vt videatur in ea civitate præter dissensiones esse nihil : vix ex omni civium numero inter duos convenire. Idem accidit de hominum vita : si quo enim in populo qui Evangelium amplexus fuerit, sequuta quidem sit magna morum emendatio: quia tamen adhuc homines sunt homines : fieri non poterit quin nonnunquam ab aliquo crimen admittatur aliquod. Hîc igitur ad pauca quædam crimina notandum adversarii lynceis fuerint oculis, ad videndam illam morum emendationem nullos prorsus oculos habuerint. Ac videtur nescio quo modo ita vsuvenire: vt plerisque in rebus magis animadvertatur quod male fit, quàm quod benè. Reddit aliquis depositum ? Honeste cum vicini vxore gerit sese ? Dat justam ab se mentibus mensuram ? Vix quisquam cuiquam id narrat: nisi magnam aliquam res præ se ferret novitatem. Vt si contenderet quis, non plus decem nummis deberi sibi, neque acceptare plus vellet: alter contenderet se debere quindecim, velletque eum vt acciperet, cogere. Quòd si quis vno verbo alterum attingat: aut quoquo modo (vt fit) lapsus fuerit, protinus volat fama : audiuntur querelæ. Taceo quod vbi populus aliquis Evangelium amplectitur, multi sunt

de

de populo, qui tam amplexi fuissent quàm-
libet doctrinam aliam, quàm Evangelicam:
quippe qui religionis nulla tangantur cura.
Quare impura sua vita multis maximisque
reprehensionibus digna, Evangelio quod
magnificis fortè verbis inter pocula, ne di-
cam inter scorta jactant, infamiæ sunt, ac
dedecori. Qui aliquando suæ impietatis ac
flagitiorum justas Deo pœnas dabunt. Im-
mò verò non desunt ex talium numero,
qui cum re vera religionem nihil curent, si-
mulent tamen impendiò eam se amare: di-
vinis literis multam impendant operam,
evadantque divinarum rerum eruditi diser-
tiq; disputatores: & tandem ad docendi
concionandiq; munus præveniant, cumq;
(proh nefas) magnum sit cordis ac linguæ
dissidium: cum multò aliter doceant & fa-
ciant: id videlicet ad maximam revocatur
Evangelii infamiam. Mirum est enim
quàm incommodi atque indigni sermones
veritatis hostium ac Satanæ opera in vul-
gus exeant, quamq; hæc nulla conterere
possit oblivio. Verùm sint licet simulatores
multi, sunt & multi absque dubio qui ex a-
nimo Deum colunt, qui tamen & ipsi non
possunt non aliquando humanitùs pati a
liquid, quod calumniatoribus susurrandi
materiam suppeditet. Qui si ad Evangeli
professorum

professorum infamiam eorum ipsorum vti possint testimoniis, dum se (proh dolor) mutuò infamant: id verò ad arcendam, ac procul abigendam veritatem firmissimum sit propugnaculum. Vt autem isti se mutuò infament, ita contingit, quum oritur inter eos (vt diximus) aliquid controversiæ, inter differendum incidunt in ea quæ diximus dudum in disputationibus contingere: commotisque ac perturbatis animis quid faciant non cavent, dum indignationi obsequantur: quod eò accidit magis, quo plus ponderis in controversa re vel vtrique parti, vel saltem alteri videtur. Qualium offendiculorum frequentiora, majoraque habet hæc nostra ætas exempla, quàm vt vel cogitatione complecti aliquis, nisi planè ferreus siccis oculis possit: quippe cum ea nostra sit cæcitas, vt non animadvertamus quàm retardetur hinc Evangelii cursus, aut ea perversitas, vt siquidem id animadvertimus, malimus talia exhibere hostibus nostris spectacula, quibus quidem accidere illis nihil jucundius, nihil optatius posset, quam ea fraudari voluptate quam animorum permotionibus obsequentes percipimus. Neque id fit nodò, quum re vera orta est inter aliquos dissensio, verùm accidit etiam nõ semel, vt

cum alicujus verba haud commodè accepta fuissent, vt videretur ille aliud velle quam re vera vellet, excitati in illum sint clamores, ac quanquam is postea millies testatus Deum fuerit, haud se id voluisse; quòd alios offenderet, nihilque novi sensisse se, nihil profuerit, quin omnino eum facere hæreticum pergerent: eique ea tribuere quæ neque dixerit, neque cogitaverit vnquam. Itaque tanquam hæreticum insectati sunt. Exempla nominatim referre ne cujusquam offendam animum, supersedeo. Horum malorum causa est natura morbus, qui ociosus esse in nobis non potest: arrogantia videlicet, ac superbia: arrogantia facit, vt quisque solus sibi sapere videatur, solus oculos, ac mentem habere, solus Deo à secretis fuisse. Superbia facit, vt errasse, aut vel tantillum lapsus esse videri nemo velit.

Monita salubria iis qui veritatem propagare cupiunt.

Sed si sint qui docere veritatem possint velintq; quî fiet vt occupati satanæ artibus hominum animi audire recusent? Certum perversum in animum testetur (vt diximus) Solomon penetrare sapientiam non posse, perversusq; is sit maximè qui excutiat Dei timore omni totum se nequitiæ tradidit, curentur aliquatenus animi ante omnia oportet: id quod fit commemorati

ne mandatorum Dei, sempiternorumque suppliciorum in transgressores constitutorum: ac talia quidem habuisse Dominicas conciones initia, videre licet: sic enim vulnerati animi admittunt medicum, non solum autem à commemoratione mandatorum, propositæque transgressoribus pœnæ initium faciendum est, sed ostendendum est etiam populo vt transgressus ea sit mandata, vtque sibi iratum Deum habeat: cum enim auditoribus non testari suusmet non possit animus, rem ita se habere, qui Dei semen fuerint, arrigent profecto aures bonamque de te opinionem concipient. Quidnam autem primò, quid secundò, quid tertiò dicendum sit, vix præscribi, ac ne vix quidem potest. Locus, tempus, occasio docebit: sed ante omnia spiritus. Videtur autem vt quidq; paratissimam habet approbationem, minusque calumniæ obnoxium est, ita primo loco docendum. Vt si antè de fidei justitia egeris, quàm de impietate Missæ, divorum, simulachrorumque cultu, & id genus aliis: cumque eorum in quibus erratur, alia sint doctrinæ quasi partes, alia ad judicium de doctrina pertineant, vt quod non hominibus habenda fides sit, non ex prosperitate, aut calamitatibus, non denique vlla alia ex re-

petendum piæ, aut impiæ religionis judicium, quàm ex solis Dei certis, claris, perspicuisque oraculis: vtra proponenda sint antè, haud satis apparet. Quæ plus præ se ferunt novitatis nonnunquam majorem injiciunt cognoscendi cupiditatem, nonnunquam etiam prorsum alienant animos. Quæ novitatis habent minimum, initia instillantur illa quidem facilius, sed ferè etiam leviter admodum imprimuntur: nisi fortè continuare opus possis, vt indies quasi adacto cuneo majora addas, sed & nonnunquam rectè à depulsione calumniæ exordimur: in quo vehementer cavendũ est, ne dolori, aut indignationi quid tribuentes non tam repellere injurias, quàm rependere voluisse videamur. Decet enim Christianum summa lenitas, moderatioq; : sit scopus, non vt reddas cuique pro meritis, sed hominum animos Domino vt lucrifacias. Ac quo minus quid aut aggrediamur temerè, aut faciamus minus circumspectè, consulendus est optimus magister spiritus. Orandus (inquam) assiduè est Dominus, vt ipse moneat vbi, quando, & quos aggrediamur, dictet verba, corda aperiat: denique vt ipse opus, qui solus potest, conficiat. Atque ne vllo vel supplicii, jacturæq; metu, vel cujusvis incommodi causa Evangelium

lium homines aversentur, eisdem sunt hortandi rationibus quibus qui docent, se ipsi communiant, oportet. Videndum est autem etiam atque etiam, vt non tantùm diluantur ea quæ tum in veritatis assertores, tum eorum in doctrinam jaciuntur, verùm multò etiam magis, ne habeant impii quod objiciant verè, aut etiam verisimiliter. Vt non modò absit crimen omne, sed omnis etiam criminis (si fieri possit) suspicio. Proinde cum delictum omne maxima per se dignum animadversione sit, si tamen is illud admiserit qui Evangelicæ veritati nomen dederit, idq; impiorum in conspectu: ita, vt inde occasio eis infamandi detur Evangelii, aut si inde infirmorum offendantur animi, quasi pia sanctaque ea videri dogmata non possint, quorum ita vivant professores: tum verò id Deus abominetur maximè. Quo etiam testimonio gravari magis possit Evangelium, quàm si ii qui eosdem errores, idemq; satanæ regnum oppugnare eisdem telis, ijsdemq; tormentis aggressi sunt, maledictis se mutuò conficiant, alterque alterum vt satanico dementatum spiritu condemnet? An dubitemus tum impetum, eamque acerbitatem qua sic inter se ferociunt quidam, non ab vllo esse Dei spiritu, sed ipso ab satana, vt vel

ipſorummet Evangelii aſſertorum teſtimonio ſanctum Dei damnetur Evangelium? Quibus non lachrymis digna hæc noſtra ſit dementia? Ergone cujus nos tam infenſi, tam acres videri hoſtes volumus, cujus conficiendi, perdendique cauſa tot ſuſcipimus labores, tot nos committimus periculis, tantumque noſtri effundimus ſanguinis, ei deinde vltrò ſuppeditabimus arma quibus tueatur ſeſe, immò etiam quibus nos confodiat? An verò obſcurum hoc eſt? Si Satanæ optio deferenda fuiſſet vt quod maximè è re ſua fore arbitraretur quòd maximè optaret, id obtineret: quid optare potuiſſet aliud, quàm vt ſuorum hoſtium cauſa eorundem acerrimo jugularetur teſtimonio? At hoc ipſum fit, impetrat (inquam) Satanas quod maximè omnibus habebat in votis, & ab illis ipſi impetrat quibus quis dixerit eum valiciores hoſtes, formidabilioreſque vix habuiſſe vnquam. Atque hinc, ſi qua ex re alia cognoſcere licet qualis quantuſque veterator ſit Satanas, qui talia non tantum moliatur, ſed tanto etiam cum ſucceſſu, ac tam pulchrè perficiat. Verùm quid facias? ille tantus veterator eſt, & homo, quiſquis tandem ſit, præ illo non niſi tyrunculus vnquam, vt ſi illius capiatur dolis, mirum admodi

admodum non sit. Sed detectis jam dolis, quid fiet? An nihilominus pergimus Satanæ cauda adblandiri? At verò quod ante incauti fuerat militis, facileque condonandum, jam nequissimi impurissimique proditoris fuerit excusatione prorsus nulla dignum. Verùm ne dubita, non deerunt satanæ doli alii, quibus, nisi caveris, te adhuc sibi obsequentem habeat: suggeret videlicet, turpe fore, si mutato stylo quasi errasse te ante fateri videâre, id haud ex dignitate tui fore officii, decessurum tua de authoritate plurimum, quin etiam dogmatum tuorum fidem titubaturam. Denique actum fore de omni Evangelio, nisi videâre tanquam Deus quispiam nihil non sapientissime fecisse. Sed heus tu, cave tibi in tempore, Satanas (inquam) te rursum suis tentat dolis. Ne erres, vel si mordicus tueri factum tuum pergas, nunquam propterea facias, quin errorem tuum agnoscant omnes ac quo magis tegere cum tua volueris pervicacia, eò conspicuus fiet magis, & fœdus, & invisus: præterquam quod indignationem incurres Dei tantam, vt cum tibi à parva timueris nota, nullis non ignominiis te obruturus vndequaque sit. Discamus ergo tandem aliquãdo majore lenitate prudentiaque in nostris

ſtris verſari controverſiis. Qua de re cum alibi ſatis multa dicta ſint, non erimus hic pluribus moleſti.

Ne ſe mutuò maledictis conficiant.

Ad diluendas calumnias quibus infamari ſolent Evangelii profeſſores, eo quidem nomine, quòd multa eis nefaria, valdeque abſurda tribuantur dogmata, quæ illi nullo pacto agnoſcunt: & illud pertinet, quod jam fieri vbique videmus, vt quælibet aut particularis alicujus loci eccleſia, aut civitas, aut provincia quæ Evangelium fuerit amplexa, & privatim etiam homines nonnulli ſcriptis editis quæ ſit ſuorum dogmatum ſumma teſtentur, eaque ratione impiorum errorum quos nunquam non ſerit ſatanas, ad ſe doceant non pertinere infamiam. Quæ res quàm bene eis cedat, expendendum eſt. Certè quidem adverſarii quòd audiunt confeſſionum nomina, etiamſi in præcipuis religionis capitibus ſumma ſit conſenſio, tamen totidem videri ſectas volunt: faciunt id illi quidem ſuo vitio, nulla juſta cauſa, fateor; ſed colorem tamen habet calumnia. Si vnus Deus eſt, vnus Chriſtus, vnus Baptiſmus, vna fides, quid ſibi volunt (inquiunt) hæc tot confeſſionum nomina? Si eſt inter vos ſententiarum conſenſio, ſi vna fides, quî fit vt non vna ſit veſtrę omnium fidei confeſſio?

fessio? Ac in veteri quidem Hebræorum ecclesia facta non semel est diuini cultus restitutio, neq; vllius tamen (quod me legisse meminerim) extat more nostro compositæ confessionis memoria. Legebatur populo legis volumen, & diruebantur altaria, tollebantur simulacra, abolebuntur omnia impietatis vestigia. Hęc erat restituendi cultus formula, vt confessio esset ipsum legis volumen: quam ob rem nos eandem non imitaremur rationem? Qua fiducia volumus nos maiorem nostram esse prudentiam, quam sapientissimorum pariter ac religiosissimorum regum illorum, quorum hoc in genere factum ipse probauit Deus? Nam vt non graventur piæ ecclesiæ à calumniatoribus multorum fœdissimorum errorum infamia, nostris quidem istis confessionibus non assequimur. Calumniantur nos nihilominus, nam hæreticos communi nomine appellant omnes quicunque Romanæ ecclesiæ obedientiam detrectant, itaque quamcunque impietatem secta aliqua defendat, illa ex æquo infamant omnes, quin etiam confingant ipsimet quædam errorum monstra quæ nobis adscribant. Tum autem additur ad calumniam, quod qui Romanã ecclesiã repudiant, in tot sectas sunt diuisi, vt designandis sectis desint nomina.

Ac

Ac quo plures videantur, pro confessio-
num numero sectarum augent numerum.
Ac cum Satanas nihil tantopere cupiat
quam vt qui suo illi ampliſſimo regno Ro-
manæ ecclesiæ bellum indixerunt, quàm
plurimas diviſi esse in factiones, ac sectas
videantur, incertis atque inanibus tantum
opinionibus quibusdam huc illuc fluctuan-
tes, nihil certi, nihil firmi habentes. Hoc
quidem assequimur noſtris iſtis confessio-
nibus, quod eius vehementer faueamus
votis: quod probari mihi non posse fateor:
nisi enim alioqui præclara insit vtilitas
quæpiam, quam profecto videre nondum
possum, Satanę consilijs tantulum commo-
dari operæ certè quidem nolim. Si inter
quas ecclesias de ijs convenit doctrinæ ca-
pitibus quæ sunt ad salutem cognitu ne-
cessaria, ea item communem vnam habe-
rent fidei confessionem, vt quam re vera ad
vnum pertinent quasi corpus, tam etiam
viderentur, non improbarem. Sed cum id
non fiat malim nullam esse, quam tot. Est
& aliud quiddam quod in confessionibus
iſtis me malè habeat: nam quicquid illis
asseritur, in eo iam ei verbo: Si sedenti pa-
tefactum quid fuerit, prior taceat, nihil re-
linquitur loci: neque vero illi: *Prophetias*
ne spernite, omnia probate, quod bonum est
tenet

tenete. Quicquid enim semel ita scriptum sit, id iam adeo certum, rarum fixumque esse volunt, vt potius ipsi Dei verbo quantumcunq; sint vim illaturi, quàm vt quicquam de eo sibi extorqueri patiantur, itaq; fit, vt quæ hominum sunt verba, superiorem Dei verbis adipiscantur authoritatem. Meo quidem judicio nihil præstaret, quam vno accurate concinnato fidei Symbolo confessiones alias abolere omnes. Certe enim talis ecclesiarum consensio multas sopiret hominum voculas, multa magnaque tolleret offendicula quæ Evangelij cursum retradant mirum in modum.

Extat quidem antiquissimum fidei symbolum Apostolorum titulo, sed illud ita probant omnes, vt tamen eius vsum non agnoscant. Est enim symbolum signum bellicum, quod Latinè tessera dicitur, quo socij ab hostibus & exploratoribus dignoscuntur. Quo nomine cum placuerit veteribus breuissimam illam fidei confessionem appellare, satis apparet illos persimilem voluisse eius vsum esse, videlicet vt quicunque eam reciperet, reciperetur ipse, etiamsi alioqui in multis gravibusque versaretur erroribus, qui reijceret, ipse etiam reijceretur. Atqui hoc non fit: non enim recipitur quisquis Symbolum illud profes-

sus

sus fuerit: cumq; id non fiat, apparet id pro symbolo non vsurpari: quare operæpretium fuerit videre, qualem nam esse oporteat confessionem eam, quæ rectè pro fidei symbolo inter Christianos omnes (eos scilicet qui ad Dei ecclesiam quoquo modo pertineat) vsurpari possit.

Optandum fidei symbolum commune & quale.

Ac oportet quidem confessionem eiusmodi esse instar definitionis cuiusdam, quēadmodum enim requiritur, vt definitio neque plura complectatur, neque pauciora quam ipsa quæ definitur res: videlicet vt nihil desit, nihil redundet: ita in fidei symbolo nihil deesse oportet eorū quæ sint ad salutem cognitu necessaria. Nihil etiam contineri debet, absq; cuius cognitione contingere salus possit, etenim si deesset aliquid cognitu necessarium, fieret vt qui Christianus haberi non debeat, neque ecclesiæ Dei membrum, propterea quod profiteretur illud symbolum, haberetur pro Christiano. Sin contineretur symbolo aliquid non necessarium cognitu, vsu venire posset, vt qui confiterentur quæ essent necessaria, & qui cum sua qualicunq; fide salui esse possent, propterea quod non reciperent id absque cuius cognitione contingere salus possit, cum essent pro Christianis & ecclesiæ membris agnoscendi, reijcerentur. At si neque:

que desit, neque redundet quicquam, jam neque reijcerentur, nisi qui sint reijciendi, neque recipientur, nisi qui sint recipiendi. Atque ita aptissimum fuerit symbolum quo Christiani à non Christianis discernantur. Quibus ex rebus satis appareret, longe aliam etiam esse rem, fidei confessionem conscribere, quam religionis institutionem aut summam. Institutionem enim qui scribit, is non tantum quæ necessaria sint complecti debet, sed etiam quæcunque vllum habent vsum: in confessione autem scribenda vt nihil quod omnino sit cognitu necessarium prætermittendum est: ita quicquid addatur non necessarium (etiam si alioqui verum ac bonum sit) id ad ecclesiæ diuisionem in sectas pertinet, atque ad discordias & rixas. Qui pacem concordiamq; in ecclesia esse vult, oportet eum rerum necessariarum confessione contentum esse, frustra enim sperauerit aliquis fore vnquam, vt cum Dei ecclesia tam bene agatur, vt de rebus omnibus omnes idem sentiant. Quare vna illa reliqua est concordiæ ratio, si qui necessaria amplectuntur ferant se mutuo, & suas controversias inter se amanter humaniterque vti fratres tractent.

Neque vero satis est, si neque desit quic-

quam

quam, neque redundet, sed quæ comple
ctetur symbolum, ea etiam ita expressa esse
oportet, vt ea neque agnoscere videri poss
sit is qui non agnoverit, neque videri non
agnoscere, qui verè agnouerit. Ac videri
quidem possit agnoscere aliquid, qui re
vera id non agnosceret, si quibus verbis id
expressum esset, ea ipse alirer intelligere
quam oporteret. Quemadmodum Pontifi
ficij verbo quidem peccatorum remissio
nem confitentur, sed cum talem intelligan
peccatorum remissionem quæ fiat com
pensatione meritorum bonorum operum
quod verbo confitentur, re vera non ag
noscunt. Contra autem videri posset qui
non agnoscere aliquid, quod tamen re ve
ra agnosceret: si verba quibus id esset ex
pressum, non intelligeret, propterea qu
negaret. Cum tamen rem planius expressam
non esset negaturus. Quid fiat igitur v
vitetur vtrunque hoc incommodum? E
quidem sic vitari posse arbitror: Omnin
quædam in fidei confessione asserend
sunt: vt, *vnum solum esse verum Deum*, C
eum quem ille misit Iesum Christum, quæ
dam negari siue damnari possunt, quo
fit, si quid cum rerum cognitu necessaria
confessione pugnet. Vt si negem in lege po
sitam esse iusticiam, aut cum Paulo dicam

nihil rei cum Christo esse ijs qui in lege positam habuerint justitiam. Caue autem intelligas idem esse pugnare cum re cognitu necessaria, & pugnare cum confessione rei cognitu necessariæ. Cum enim supra vsuvenire posse docuerimus, vt credat aliquis quæ pugnant inter se, neque vera simul esse possunt, non necesse est, si quid pugnet cum re cognitu necessaria, id etiam pugnare cum eiusdem rei confessione. Persuasi autem sumus, quæ cognitu sunt necessaria, ea divinis literis contineri omnia, & ea quidem apertè & perspicuè expressa: vt nemo possit ea nisi occæcatus non intelligere, nam si occæcatus aliquis fuerit, ei nihil satis perspicue dictum esse potest. Quæ cum ita se habeant, nihil mihi consultius videtur, quam vt fidei confessio quæ sit pro symbolo vsurpanda, non solum nihil complectatur non necessarium cognitu, nihil non verissimum, ac certissimum, nihil non divinarum literarum testimonio testatissimum, sed etiam vt nihil complectatur nisi expressum eisdem etiam verbis, & loquendi formulis (quoad eius fieri possit) quibus ipse Dei spiritus est vsus. Quod ipsis in verbis aut syllabis vlla esse religio putanda sit, neque quod quicquam interfit quibus quidque verbis expressum fuerit,

si modo & verum sit, & recte intelligatur, sed cum lubricum admodum sit hominis ingenium, qui sæpe certissima exploratissimaque arbitretur ea, nec posse in controversiam adduci quæ postea non modo veniant in controversiam, sed etiam falsa fuisse demonstrentur, ideo consultius esse arbitror in fidei scribenda confessione Spiritus sancti verba retinere, quam vsurpare nostra, ne videlicet nostro indulgentes ingenio aliquid inseramus quod non solum non sit certum, & cognitu necessarium, sed ne verum quidem sit. Deinde etiam si nihil inseratur nisi quod & verum sit, & cognitu necessarium, at fieri poterit vt verba nostra nobis non animadvertentibus aliquid habeant ambigui (vix enim quicquam est persæpe tam difficile quam sensum aliquem ita exprimere, vt non cavillo aliquis relinquatur locus) itaque fiet vt qui sententiam vt est diuinitus expressa, vltro amplecturus fuerat, propterea que recipi ipse debebat, cum aliud quiddam dici suspicetur, nostris verbis expressam reijciat, ideoque ipse etiam immerito reijciatur. Quæ res alicuius sectæ origo sit, atque initium: quibus ex rebus efficitur, vt minimè contemnenda existat causa, quamobrem ipsa Spiritus sancti verba retinean-

neantur: quamobrem autem nostra malimus vsurpare, vix vlla causa esse potest. Nemo enim non fatetur quæ cognitu sunt necessaria, ea divinis literis clarissimè aptissimeque expressa contineri. Non loquor nunc de Pontificijs, quorum omnis fides authoritate nititur Pontificia, sed de ijs qui verbum Dei volunt suæ fidei normam esse, præterea nihil. Quid autem velimus nos aliud, quam apertè ac perspicuè omnia exprimere? At qui præstare id possumus sanctæ Scripturæ verbis, quæ clara ac perspicua esse confitemur, ideone forte verbis nostris vtemur potius, quam spiritus sancti, vt sophistis tergiversandi causas præcidamus? Scilicet Spiritu sancto nos cautiores simus, & quid cauillo sit expositũ quid non sit, melius quam ille videamus. Quæ ista fuerit temeritas? Cẽseo igitur quę asserenda sunt vt necessaria cognitu, ea eisdẽ etiam verbis asserenda esse quibus divinitus sunt expressa. Quæ vero siue reijcienda siue damnãda sunt, ea forte ne exprimi quidem possint nisi ijs vtamur verbis, quib. qui illa asserunt vtuntur. Tantum videndũ est quid damnemus: nõ enim quicquid falsum sit damnandum est ea quidem confessione qua pro fidei symbolo vsuri simus, a-io qui si dãnetur error qui errantẽ à regno

Dei non excludat,& propterea quod dam
nare aliquis cum errorem nolit, ipsum
symbolum recuset profiteri,reijciatur,reij
cientur qui reijciendi non erant.Sedea tan
tum sunt damnanda quæ ita pugnant cum
fide rerum cognitu necessariaium vt no
possit aliquis simul credere, & in quod o
portet credere, & id quod damnatur,quẽ
admodum non potest aliquis iustitiam po
sitam habere in solo Christo, & simul eti
am in lege: quare cum in solo Christo ha
bere eam positam oporteat, recte damnan
tur ij qui in lege eam collocant. Quicunc
autem error fuerit eiusmodi,vt non impe
diat, quominus qui erat ea credat qui
omnino credere oportet,is damnandus n
est:alioqui symboli verus peribit vsus:quer
vt diximus hunc esse oportet, vt quisqu
illud receperit, recipiatur & ipse, quisqu
autẽ recusauerit illud recipere,ne ipse qui
dẽ recipiatur Atq;vt eo signo agnoscant
mutuo quicunq; vllo modo ad eam pert
neat Dei ecclesiam,quæ toto terrarum orb
non nisi vna est,fuitq; à condito mundi
Istis sic expositis sequitur vt tale aliquc
conemur symbolum concinnare quale h
ctenus descripsimus,rudi licet Minerua:e
periemur tamen, fortè aliquem tande
dabit Dominus qui & expoliat,& absolua

Qu

Quæ nam habenda cognitu neceſſaria, Secundo libro diſputatum à nobis eſt multis verbis, atque hæc quidem inveniebamus, non plura.

Formula talis ſymboli ex Autoris mente.

1 Quòd vnus ſit verus Deus, & is quem ille miſit Ieſus Chriſtus, & Spiritus ſanctus. Et quod non rectè negatur alius eſſe pater, alius eſſe filius: quia Ieſus Chriſtus vere ſit Dei filius,

2 Quod homo iræ judicioq; Dei ſit obnoxius. Et quod reuiviſcent mortui, iuſti quidem ad ſempiternam beatitudinem, impij vero ad ſempiternos cruciatus.

3 Quod Deus Ieſum Chriſtum filium ſuum in orbem miſerit, qui homo factus propter peecata noſtra mortuus ſit, & propter noſtram iuſtitiam à mortuis excitatus.

4 Quod ſi crediderimus Dei filio, per eius nomen vitam conſequuturi ſimus.

5 Quod non ſit in vllo alio ſalus, non in Beata Virgine, aut Petro, aut Paulo, aut vllo alio ſancto, vel quovis alio nomine. Et quod non ſit juſtitia in lege, neq; in hominum mandatis aut inventis.

6 Quod vnus ſit Baptiſmus in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti.

Proinde hæc forte non incommoda fuerit Symboli formula.

Iohn 11. Vnum solum verum Deum novi, & eum quem ille misit Iesum Christum, filium eius, & Spiritum sanctum. Noui Dei legem esse illam: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est, &c. Execrabilis est quicunq; executus non fuerit omnia quæcunque in lege scripta sunt.

Matth. 20. 2 Tim. 4. Ioan. 5. Credo futuram mortuorum resurrectionem, & judicatum iri vivos & mortuos, qui rectè fecerint, in vitam æternam ituros: qui autem iniq; egerint, ad supplicium.

Et cum ego in peccatis conceptus, & natura iræ filius contra Dei legem graviter commiserim, agnosco me Dei iudicio obnoxium, atq; æternæ mortis reum esse.

Verum cum statuto tempore Deus filium suum Iesum Christum in mundum misserit, qui homo factus *propter peccata nostra*

Rom. 4. *mortuus est, & propter nostram iustitiam revixit*, qui nos à peccatis nostris suo sanguine abluit, per quem peccatorum venia nunciatur, nec est in vllo alio salus, nec vllum aliud nomen est sub cœlo hominibus datum per quod servandi simus, confidome per illius nomen & gratiam vitam consequturum.

Agnosco vnum baptismum, in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti. Si cui ita placeat, addi poterit eorum errorum con-

dem-

demnatio quæ cum ſupra ſcripta fide pugnant, hoc modo: Reijcio eorum ſententiam qui negant alium eſſe filium, & alium eſſe patrem. Confiteor enim Ieſum Chriſtum verè filium Dei eſſe.

Iuſtitiam poſitam non habeo in lege, neque in hominum mandatis, aut inventis, ſed in ſolo Chriſto. Neq; ſpero me ſalvum fore per beatam virginem, aut vllum ſanctum, vel quodcunq; aliud nomen, ſed per ſolum Chriſtum. Sin placet hæc omitti, poterit quicunq; ſymbolum profiteatur, præſertim vbi aliqua ſit ſuſpicio, interrogari, itane agnoſcat patrem & filium, & ſic de quacunque re alia de qua ſuſpicio ſit illa, nequis verba amplexus, rem quæ verbis ſignificatur, neget, in quo tamen (vt rerus retineatur ſymboli vſus) cauendum erit, ne quis interrogando præter ſincerum ſymboli ſenſum, quicquam exigat.

Certè autem ſi qua concinnari huiuſmodi poſſet fidei confeſſio quæ omnibus ad vniuerſam Dei eccleſiam pertinentibus ita ſatisfaceret, vt putarent eam pro ſymbolo eſſe ſurpandam, & ea contentos omnes eſſe debere, neq; plurium rerum confeſſionem eſſe exigendam, eſſet eius vtilitas omni opinione maior. Etenim ſi quis rectè rem

expendat, aut hæc est concordiæ inter Christianos ratio, aut prorsus nulla est. Nam quamdiu volet vnusquisq; suum iudicium de rebus omnibus cæteris credendi normam esse, ac legem cui non parere non liceat, necesse fuerit pene dixerim omnes omnibus esse hæreticos: vt sectarum, rixarum, clamorum, simultatum modus futurus siti nullus. Quod si semel persuasi homines essent quicunq; symbolum illud profiterentur (quæcunq; reliquæ essent controversiæ: esse eos nihilominus pro Christianis, & fratribus amplectendos, communia esse cum illis nihilominus sacrorum iura, magna spes esset fore, vt & ipsæ quoque controversiæ multo maiore tractarentur æquanimitate. Quin etiam vt sublatis simultatibus inter eos tandem conveniret atq; ita adversarijs omnis præcideretur calumniandi occasio: quod vt aliquando contingat, summis precibus est à Deo contendendum.

Hæc nos pijs quibusq; ingenijs piè sancteq; consideranda proponimus, si quis hac in re plus aliquid viderit quam nobis hactenus Dominus patefecerit, eum rogatum volumus etiam atq; etiam, ne in tanti momenti suũ occultare velit talentum, at interim quicquid in nobis desideret,

um certe conatum nostrum ne inique interpretetur.

Sed quominus aliquot detectis patefactisque erroribus cæteri etiam patefiant, id ita potest contingere: nam nisi qui primus aliquam cœpit lucem aspicere, errores omnes animadvertit, quinimmo aliquot quasi vera dogmata semel approbavit, magni fuerit negotij, vt eos idem postea animadvertat, præsertim à quoquam admonitus. Causæ sunt eædem quas paulo ante dicebamus, nimis magna sui opinio, & animi elatio: illa facit vt quantulumcunque aliquis videat, illico omnia se vidisse facilè sibi persuadeat, vt expertus est suum judicium aliquot in rebus rectum fuisse, ita sibi persuadet id fuisse in omnibus ac quicquid in buccam, esse oraculum: hac autem fit, vt nemo qui modo aliquid de se sibi persuadet, videri velit aut errasse, aut non omnia vidisse: quare si quid semel asseruerit, ægrè adduci potest vt id ab alio præsertim admonitus retractet, sed neque vt patiatur id connuelli. Quodque invitus esset facturus, ne intelligere quidem facile potest iustam, quamobrem id faciat, esse causam. Quare vt nollet falsa esse quæ asseruit, ita falsa esse persuaderi non potest. Facit etiam animi nimia elatio quæ cum natu-

turæ morbo est coniuncta, vt nemo laudit socios facilè admittat. Ex quo fit, vt si quis ea velit attingere quæ primis prætermiserit aut suo calculo comprobarit, vt si fame confecto panis frustrum quod nactus fuerit: ereptum veniat quis, ita in eum excandescat. Ac quemadmodum illi ipsi qui primi profligandis erroribus navarunt operam, quominus alius in eo genere præterea attingat quicquam, sunt impedimento, ita sint quicunque primos illos doctores habuerint: illis enim ex hominibus cum sibi deos fecerint, arbitrantur quod illi ignoraverint, scire posse neminem. Itaque si quis vel tantillum de spacio curriculoque per eos trito deflexerit, adeo non præbent aures, vt ei vehementer succenseant: id vero contingit multo magis illis in rebus in quibus vera sententia insignis cuiuspiam hæreseos nomine infamis fuerit, neque meliore eam loco primi illi habuerint. Ita enim error adeo stabilitur, vt iam convelli nulla ratione posse videatur: cui & illud potest accedere, si qui, cum tentaverint errores eiusmodi impugnare, aut id fecerunt absurdis ineptisque allatis rationibus, aut ferunt aliorum errorum nomine infames, aut in eorum errorum locum non veritatẽ, sed errores alios, forteq;

fœdi-

fœdiores substituere voluerunt. Quisquis enim res easdem aggredi voluerit, nemo fuerit, quin primo quoque verbo compertum sibi habere videatur, & quali spiritu hominem eum esse oporteat, nimirum impio, maximeque sacrilego: & quò tendat, quid sibi velit: quid dicturus sit, & quid possit etiam dicere: Itaque omnino surda fuerit aure, multo autem id fiat magis, quo plures quid ejusmodi tentaverint, & pluries: & quo morosioribus, magisque perditis visi fuerint moribus qui id tentaverunt. Sanè quæ viderentur homines à nimia tum suæ sapientiæ fiducia, tum animi elatione ad modestiam æquanimitatemque, revocare posse, sed & quæ dissolvere possent nimiam illam de quibusvis hominibus opinionem, de iis dictum jam est à nobis alibi. Tantùm ii sunt monendi, quibus post primos Deus patefecerit quid, vt ad ea in medium afferenda magna vtantur dexteritate, ne insolenter alios impetant, quasi crimini dantes, quòd non omnia viderint, ne maligne quid voluisse vel tegere, vel depravare privatis vllis adductos rationibus interpretentur. Non decet Christianum hominem suspicionsus animus, neq; verò in eos ingratus per quos Deus ecclesiæ suæ magnũ aliquod contulerit beneficium: neque

quæ primo quoque verbo jactent habere se quæ patefaciant novo admodum, quæ nemo antè animadverterit, aut in quibus magni viri graviter hallucinati fuerint, aut verbis aliis ejusmodi ineptiant. In quo ei quidem vehementer quorundam requiro prudẽtiam, quorum cum alicubi minimum haberet sententia novitatis, tamen vt alio remi genere allato, sic novitatis nomine hominum animos percellere voluerunt; quo & varias in se tragœdias excitarunt, & Dei ecclesiam vehementer perturbarunt: quæ vitari mala fortè poterant, si quid modò adhibitum dexteritatis fuisset.

Sed quibus rationibus diximus veteres errores constabiliri posse maximè, eæ sintne cognitione vlla dignæ, piis prudentibusque animis expendendum relinquimus. Quid enim hîc dicemus? Si quid ejusmodi de errore quopiam factum fuerit, nihilne id habiturum fuisse momenti ad eum magis ac magis confirmandum? Nemo opinor dixerit. Quid igitur? Nonne fuisse videlicet Satanæ tantum ingenii, vt in tempore quum per hominum ignorantiam licebat, aut per occupatos jam superstitionibus animos, multas vehementer pias sententias fœdissimarum, maximeq; execrandarum hæresum opinione infamaret?

Et

Et vt excitaret mox audaces arroganteſq;, ſed nullo ſano judicio homines diverſis etiam temporibus, qui erroribus malè oppugnatis turpiter victi magis ac magis eos in hominum animis conſtabilirent? Niſi defuit ingenium, audacia (opinor) defuit aut animus? Quòd ſi nihil horum defuit, tentaſſe id eum non vna in re, neque ſemel, atque etiam perfeciſſe qui non ſuſpicabitur, quid movere ei ſuſpicionem poſſit, equidem non intelligo. Sin vt quid ejuſmodi ſuſpicemur, magna cauſa eſt, quacunque in re quis patefactum ſibi aliquid dicat, quamobrem indicta cauſa damnandus ſit, etiamſi ea de re multa ſint hæreſum nomina, multos abſurdè, impieque multa dixiſſe conſtet, ac ſæpius, non video. Satis in tempore damnari quiſque poterit, vbi plenè diligenterque auditus fuerit, vbi ad vnguem rationum examinata momenta fuerint. Atque hinc quidem ſolui illa quæſtio videtur poſſe: qua quærebatur, vtrum audiendus eſſet is, qui in qua eccleſia communis eſſet reſtituta prophetia, quæ ſententia fuiſſet ſemel aut iterum rejecta, de ea quis habere ſe diceret, quæ in medium afferret nondum expenſa ante: niſi enim audiendus ſit, quomodo perpetuò locus fuerit verbo illi, quòd ſi ſedenti patefactũ

quid

quid fuerit, prior taceat? Et illi, *spiritum nolite extinguere, prophetias ne spernite, omnia probate, quod bonum est tenete?* Quid enim jam tractare possumus, quod non tractatum sit prius? Illud non dico ferendum, vt quis eadem de re iisdem sive testimoniis, sive rationibus perpetuò obtundere velit ecclesiam, & ei molestus esse.

Sed ex eo etiam fieri potest, vt maneant errorum atque superstitionum reliquiæ, quòd quo tempore aliqua facienda sit divini cultus, piorumq; dogmatum restitutio arbitrentur non statim initio restitui omnia posse, sed primum ea tollenda esse in quibus insignis aliqua sit impietas, interjecto deinde tempore aliquo minore impedimento integram instituì posse restitutionem. Evētus enim multis locis docuit, plus esse difficultatis postea in tollēdis reliquiis, quàm fuerit initio in tollendis præcipuis erroribus: vt quum eò veniendum est præstet multo, eadem opera omnia corrigere. Tam conatur enim Satanas omnibus quibus potest, cum artibus, tum viribus qualemcunque impedire restitutionem, quàm plenam, atque integram.

Vt errorum fiat commutatio non cum veritate, sed cum aliis erroribus, eisdem vitur contingere posse rationibus quibus diximus

diximus ex controversiis errores crescere. Sed vt ab erroribus ad omnium rerum incredulitatem veniatur, primùm quidem occasionem præbent, ac præcipuam tot de religione (vt jam supra monuimus) lites, ac controversiæ. Eadem olim causa cum inter philosophos nulla non de re essent lites, & rixæ, ac probabiliter in vtramque partem de omni re disputaretur, non defuerunt magni nominis philosophi qui omnia contenderent in opinionibus esse posita, certam autem scientiam vllius rei esse nullam. Accedit autem etiam impura flagitiosaque fermè omnium cuiuscunq; religionis hominum vita. Sic enim argumentantur quidam, probandam eam religionem non esse quæ suos professores bonos non reddat, cumq; nulla eorũ judicio id præstet, ex æquo omnes contemnunt: sed ita quidem argumẽtari solent qui in libidines, turpesq; ac flagitiosas cupiditates cum suas cogitationes omnes abjecerint, id quærunt, vt omni conscientiæ aculeo qui voluptatum vehementer minuere sensum soleat, aliquando liberentur, possintq, solutiore animo genio indulgere: quodq; magnopere esse vellent, facillimè etiam sibi esse persuadent. Sed non paucos etiam illud eò adducit, quòd quicquid de religione persuasum

ſuaſum habent, ideo credunt, quod de iis quos ſequuntur doctoribus optimè ſentiant: eos autem qui contraria docent eſſe valdè improbos putant, & ignaros. Mutata enim de ſuis doctoribus opinione (quod nonnunquam leviſſima de cauſa poteſt fieri) omnis eorum fides, tanquam vitiato fundamento ædificium, corruit. Idque eo etiam acciderit facilius, quo majorem de ſuis doctoribus opinionem habuerint. Ita autem vſuvenit, vt ſi quiſpiam bona fide Chriſtiani hominis deſcribat vitam, quàm abſolutum omnibus numeris ſuum depingit exemplar, tam integra ipſum eſſe vitæ ſanctitate qui eum audiunt ſomnient, neque vllam in eo humanæ imbecillitatis ne quidem ſæpe admoniti habere rationem volunt, neque conſiderare, quàm facilius ſit veram ſanctimoniam verbis, quàm factis exprimere. Proinde quicquid audierint, obſeruauerintque eiuſmodi repugnans ſomnio, omnem viro illi protinus fidem abrogant: cumque redire ad vetereserrores nequeant, neque quicquam melius, quod ſequantur, videant, reliquũ eſt, vt religionis cogitationem abijciant omnem, idque tantum ſimulandum putent, quod ad conciliandos ſibi eorum animos à quibus bene ſibi ſperare poſſe videantur, ſit aptiſſimum:

quo

quo hominum genere nihil fieri potest pernitiosius. Vitandæ igitur sunt maximè contentionum, rixarumque plenæ controversiæ, ac non minus etiam cavendum est, ne impuræ dissolutæque vitæ, & à pietatis professione alienæ exemplis à veritate hominum alienemus animos alioqui horrendissimas daturi pœnas. Sed mouendi ijdem sunt sæpe, non defigendos in homines oculos, non statuendam eorum vitæ integritatem pro fidei fundamento, sæpe simulatam esse hominum pietatem, sæpe instabilem, quin etiam humanæ naturæ imbecillitatem esse tantam, vt tametsi de religione ac de moribus sanctissimè differere quis possit, neq; simulata Deum colat fide: tamen nimiam sanctimoniæ opinionem non possit diu sustinere. Quod abundè vnum Dauidis docere exemplum potest: taceo multas iniquas interpretationes quibus sæpe gravantur Satanæ industria sancti viri, qua re Dei oraculis initi fidem oportere; id si fit, vt vt se gerant homines, eam firmam, stabilemque fore: si in homines defixi oculi fuerint, certissimè quamprimum collapsuram.

At vero si erroribus veritatis succedat cognitio, hanc cognitionem firmam, stabilemq; esse non sinit primum, si fructus non

extent.

extent. Solet enim Deus de ingratis pœ
nas ſumere; pœnaque perſæpe eſt, ſua don
quaſi repetere. Ac cernitur quidem hæ
ingratitudo tum adverſis temporibus, ſæ
vientibus veritatis hoſtibus, tum rebus pa
catis, & tranquillis: adverſis quidem tem
poribus, quum quis ne jacturam faciat bo
notum, aut carere cogatur patria, lectiſſimæ
conjugis conſuetudine, dulciſſimorumqu
liberorum amplexibus, aut etiam corpus ig
nibus cremandum permittere, fœdiſſimaq
(vulgi opinione) notari ignominia. Quam
ei patefecit Deus veritatem, eam non au
det agnoſcere, neque cuiquam impartit
pluris videlicet faciens hujus vitæ commo
da, quàm Dei gloriam. Rebus tranquilli
cernitur ingratitudo, quum inſoleſcimus
genioq; indulgemus, & in hujus vitæ com
moda, delitias, beatitudinem, omnia noſtr
ſtudia, conatus, rationeſq; conferimus, di
vini autem cultus cogitationi vix locus ali
quis ac interdum ne vix quidem relinqui
tur. Quod ne accidat, frequenti commemo
ratione divinæ iræ abſterrendi ſunt homi
num animi, exemplaq; vaſtitatum quas, v
vindicaret Deus ſui contemptum: atq; ob
livionem ſæpe fecit, afferenda ſunt. Ide
autem etiam parùm diuturna eſt ſincer
divinæ legis cognitio, quòd quàm primum

aliqui

aliquid adeptus est populus lucis, eædem nascuntur occasiones quibus diximus jamdudum ad piæ, sanctæque doctrinæ depravationem viam patefieri. Sed quoniam eo loco dixeramus magna ex parte ecclesiæ ministrorum, pastorumq; insolentiam, morositatem, iras, causam esse eorum errorum qui ex contentionibus nascerentur, crescerentque, ne cui fortè videatur non posse, quo tempore nihil videre est in Dei ecclesia præter afflictiones, insectationes, ignominias, rerumque omnium inopiam, in ministros ea posse cadere, ne quæso obliviscatur, qua tempestate ambierit Diotrephes in Christiano cœtu principem locum, neq; in eo Iohanni Apostolo pateretur locum esse, ac operæprecium quidem est considerare quàm belle fucatam oportuerit illius hominis esse sanctimoniam, cui Domini Apostolum oporteret cedere.

Novi quidem errores qui in veterum succedunt locum, aut iidem propemodum sunt, specie tantùm mutata, aut sunt omnino alii, hujus generis fortassis ille fuit, quod Romanus pontifex peccata condonandi potestatem sibi vendicaverit: illius autem, quòd in locum tot Deorum successerint sancti viri, quos postquã excesserunt ex hac

vita Pontificis authoritate in ſanctorum
numerum relatos venerantur,nomina ſun
mutata,& ſacrorum ritus,cætera manent e
adem. Appellant quidem non Deos, ſe
ſanctos, verùm reipſa Deorum habent lo
co: quin etiam qui latinam linguam a
antiquum candorem, proprietatemque l
mare voluerunt, dicturi de quopiam quo
in ſanctorum numerum eſſet relatus, i
Deorum numerum relatum dixerun
quod de Franciſco, qui Franciſcanæ ſec
nomen dedit, in Veneta ſua hiſtoria ſcri
tum reliquit Petrus Bembus. Inter majo
ſacrilegia quorum nomine merito à nob
accuſatur Romanus Pontifex,eſt,quòd ſi
poteſtatem vendicaverit augendi Chriſt
anorum dogmatum numerum, & homi
bus,vt ea crederent, religionem injicien
At ſunt hodie in nonnullis perpurgat
cœtibus qui idem jus verbo quidem n
ſibi tribuunt, ſed re ipſa id ſibi arroga
non animadvertunt. Oriuntur enim co
troverſiæ: ipſi quam ſententiam valere
porteat,definiunt: ac tametſi nunquam
doctrinæ capita inter præcipua illa conn
merata fuerunt quæ omnino certa, fixa
eſſe oporteat penes eos qui ſalutis ſibi e
velint ſpem,tamen quiſquis eorum ſente
tiæ acquieſcere nolit,ac ſubſcribere,eum

jici

jiciunt, ac tanquam hæreticum insectantur, quid quæso hoc est? Quo hæc tendunt? Quid sibi volunt? Vidimus etiam alicubi ecclesiasticæ disciplinæ causa peccata non publica deprecari coactos nondum Evangelica regula vti præfractos cœtu motos. Quid & hoc rei est? Si in consuetudinem, moremq; abierit hoc exemplum, præ tali, leviſſimum jugum erat auricularis, quam vocant, confessio. Hei quàm vereor, nisi cavent pastores, ac prudenter quid faciant, expendunt, ne, qui satanæ regnum funditus eversum cupiunt maxime, per eosdem ipsos satanas aut idem regnum restauret, aut novi cujuspiam fundamenta ponat. Quid dico autem ponat? Immò verò ne posuerit jam, dum volunt homines sua vti prudentia & suis etiam animorum motibus nonnihil tribuunt. Scrutamini quæso diligenter, quæ fuerint Pontificii regni quasi incunabula, à quibus initiis, qui ritus, quæ leges, quæ instituta, quæ tyrannides profectæ fuerint, quàm bellè fucatos quæq; res prætextus habuerit, & quo tandem evaserit: nolite committere vt, cum tot, ac tam magna sint ante oculos exempla, non saltem aliorum malo moniti profeciſſe vos nonnihil, ac prudentiores facti esse videamini.

SATANÆ STRATAGEMATVM

LIBER OCTAVVS.

QVænam esset ad eum quem consiliorum suorum omnium finem sibi Satanas proposuisset, perveniendi via, cum hactenus disputatum sit, tantum illud supereſt, vt de ipso harum rerum omnium inventore, artifice, atq; effectore satana disseramus, de quo minimè quidem tam plena historia literis est prodita, quam curiosa nostra optarent ingenia. Tantum colligere licet, conditum eum fuisse præstantissima quadam natura, & excellentissimis donis ornatum, verùm cum illis abuteretur ad summam superbiam, de cœlo deturbatum, ac præstantissima illa dona justissimo, ac maximè tremendo Dei judicio in summam et conversa nequitiam, qua illud sibi sumeret, vt Deo in rebus omnibus quantum facere enitiq; posset, adversaretur. Nec verò vnus est ejus generis genius, sed permagna multitudo, quorum caput princepsque est satanas. Si quidem ex viro quodam in Gadarenorum agro vnam dæmoniorum legionem

legionem ejectam fuisse litteris proditum est, ideoque dicitur *æternus ignis diabolo angelisq; eius paratus fuisse.* Esse autem satanam veteratorem maximum, immanissimumque humani generis hostem, clarius est in sacris literis, quàm vt demonstratione indigere vlla videatur. Ex quo illud facilè efficitur quod initio diximus, quicquid est ejusmodi, vt si id fecerint, dixerint, cogitaverint homines, ad ejus conatus conferre aliquid possit, id vt fiat, dicatur, cogiteturque eum semper conaturum. Ac tametsi eius rei gratia cum hominum animis negotium ei sit oportet, vt fucum faciat, vt illudat, vt persuadeat, vt inflammet, vt spe, timoreque afficiat, quo pacto hæc ille faciat, non est instituti nostri subtilius philosophari. Illud constat eum impellere homines, vt ea faciant, quæ ipse cupit, nemini parcere, neminem esse à quo ille sibi timeat, aut quem vereatur, quantacunq; sit vel sapientia, vel sanctitate, vel authoritate, quippe qui ne ipsum quidem Dei filium aggredi dubitaverit. Neque verò quos pertentat, sic aggreditur omnes, immo neque minimam quidem vix eorum partem, vt videri possit, neque etiam eos alloquitur quasi aliud quiddã ab illis velit. Tametsi enim de

Luc. 8.

Satan versutissimus, & defessus insidiator, dolos suos assuescit.

Iuda ſcriptum eſt, quod *Satanas ei cogitationem iniecisſet Domini prodendi*, non tamen ſcriptum eſt, eum ita conveniſſe Iudam, vt cerni poſſet, eumque ad id hortatum fuiſſe. Quinimmò cum Satanas ſit ſpiritus, haud aliter agere cum hominum animis videtur, atque ipſe Dei ſpiritus, is enim ita movet, afficitq; animos, vt tamen non animadvertant eſſe aliud quiddam, quoc ſe veluti alloquatur: immò non aliter eii videntur, quàm ſuæ cogitationes. Niſi quatenus quiſpiam edoctus, quid præſtare homo poſſit, quid minus, ſi videat cogitationes admodum pias, ac ſanctas eſſe, Spiritu ſancto eas tribui oportere, non ſibi, intelligit, ſed ad id etiam ita interpretandum a ipſo adiutus ſpiritu. Quare quancunqu cogitationem & Satanas injiciat, idem pro ſus homini videtur, ſe videlicet eſſe, qui i cogitet, tantum ſi admodum ſceleſtam: nimadvertat eam eſſe cogitationem, ej operum non prorſus ignatus eam ab il eſſe ſuſpicetur. Fortè etiam non omn prava cogitatio, pravumq; conſilium ad ſ tanam anthorem referendum ſit, cum ſua te natura homo etiam nunquam non malè cogitet, & malè faciat nullo addi ſtimulo, eademq; prorſus ſectetur quæ eu ſectari maximè vult Satanas. Tantum illi

inter

intereſt, quod homo tenetur neſcio quo ſalutis deſiderio. Satanas nihil ei minus cupit, quàm ſalutem: homini plerunq; accidit quod Medea de ſe dicit:

---Video meliora, probeq́;:
Deteriora ſequor.

Satanas voluntate ac propoſito Deo adverſatur. Homo præſentem captat voluptatem, rebus movetur præſentibus. Satanas ad quæ hominem impellit, ea ſæpe certo conſilio in valde remotum finem confert. Itaque fit, vt Satanas hominem adducat nonnunquam, vt faciat quæ ei minime jucunda ſint factu: velnti vt ſe verberibus cædat, vt nudis pedibus longum aliquod iter conficiat, vt ſibi ſæpe inediam, aliaque indicat id genus incommoda in quibus ad ſalutem multum ei perſuaſerit eſſe præſidii; & homo etiam multa perpetrat mala ipſo (vt veriſimile eſt) Satana invito. Veluti ſi magni nominis vir, idemque magnus errorum, impietatiſque patronus in tale aliquod labatur ſcelus cujus cauſa ejus nominis atque autoritatis jacturam faciat, atque hominibus oculos aperiendi, atque impoſturas cognoſcendi occaſionem præbeat. Alioqui hominis ac Satanæ inſtinctus tam ſunt inter ſe ſimiles, vt non magis ſit lac lacti. Sed & erroribus eſt homo

sua sponte obnoxius, etiam si Satanæ ad eum fallendum nulla accedat opera. Quare cum simillimæ sint inter se & propriæ hominis cogitationes, & illæ quæ à satana sũt, eo difficilius est homini satanam in suo corde (vt ita dicam) loquentem agnoscere. Neque sanè vllum est operæ pretium subtilius rationem vllam indagare, quę hominis sunt ab iis quæ sunt satanæ discernendi, dum constet quid bonum sit, vt sequamur, quid malum, vt declinemus. Quòd si fortè Satanæ tribuerimus quod hominis fuerit, aut homini quod fuerit Satanæ, minimè magnus fuerit error. Immo verò videre est, rem eandem fuisse modò homini modò Satanę tributam: quòd factum est à Petro Apostolo, quum Ananiam reprehenderet qui spiritui sancto mentiretur. Act. 5. Primò enim sic ait: *Quare adduxit te Satanas, vt spiritui sancto mentiretis?* Deinde sic rursus, *Quid ita rem designasti istiusmodi?* Et vxorem etiam ita increpat: *Quid ita conspiraſtis vt dominum spiritum tentaretis?* Illud maximè ad rem facit, quod Satanas hominibus cogitationes injiciat. Quemadmodum de Anania modo dictum est, ita de Iuda est scriptum quòd *mentẽ ei iniecisset Satanas, vt Iesum proderet*, & quòd *Satanas ex hominum cor-*

dibus

dibus Dei verbum excutiat. Cum ergo ea sit Satanæ cum homine agendi ratio, vt cum eo agere possit illo non animadvertente, mirabiles hinc eum opportunitates ad illum mille modis aggrediendum, expugnandumq; habere necesse est. Etenim si te conveniat homo quispiam, ac malum det consilium, vel fucum faciat semel aut iterum; is si redierit, vt adhuc fraude quapiam te captet, etiam si specioso aliquo prætextu, cum iam hominis tibi suspectum sit ingenium, ac voluntas, non patieris tibi imponi. Sed cum possit Satanas eo quo dictum est modo accedere, etiam si hodie teterrimum aliquod, planeq; impium obiecerit consilium, vt vnde sit latere non possit, quin idem possit cras redire, & te alio callidiore aggredi id nullo fuerit impedimento. Non enim ideo cauere tibi ab eo possis consilio, quia eius tibi suspectus sit author, quippe qui non alium eius agnoscas authorem, quam te ipsum. Ex quo licet colligere, neminem esse quem non Satanas quacunq; ratione aggrediatur. Cum enim vllum eius factum impedimento alij esse nequeat, quacunque sit aliquis, siue sapientia, siue sanctitate, experietur profecto nihilominus possit ne aut ineptissimum pertrahere in errorem, aut ad scelestissi-

leſtiſſimum aliquod, maximeque ſacrilegium facinus impellere nulla perſonæ ratione habita: etenim ſi confecerit, amplum affequutus fuerit triumphum, ſin irritus euaſerit conatus, nihilo ſibi difficiliorem reddiderit eum calidiori conſilio fallendi rationem, vt à rebus minimis ducto initio paulatim ad maiora perveniat. Neque refert qua primum ratione aliquem aggrediatur: ſi quidem cui occultus poſuerit inſidias, eius ſæpe animum etiam quaſi ficta depoſita perſona & ſua palam aſſumpta magno aliquo facinore explorauerit, quod fecit cum ipſo Dei filio, apud quem cum calidis tentatiunculis nihil profeciſſet, non dubitauit ſe prodere, ac dicere, ſi proſtratus me coluerís, hæc omnia tua fient. Sin aperto incipit Marte, ne id quidem (vt diximus) impedit, quin poſtea etiam experiatur inſidias. Ac quemadmodum & aperto pugnat Marte, & occultiſſimas collocat inſidias; ita dubitandum non eſt, quin conſilijs vtatur etiam neqne prorſus apertis, neque occultis admodum. Veriſimile tamen eſt, quibus cum calliditate maxima intelligit ſibi opus eſſe ad iacienda magna cuiuſpiam molis fundamenta, eos aperto Marte plurimum exerceri, vt cum vniuerſam bellirationem in conflictibus illis poſitam eſſe arbitrentur

Nunquam non mali aliquid molitur aperte vel ſubdole.

arbitrentur,ad declinandas occultas insidias incautiores reddantur, quod si perpendisset is qui præstantissimi cuiusdam viri nuper descripsit vitam,nõ tam forte audacter pronunciasset,satanam nunquam potuisse in illum impetum facere, quin graui quopiam accepto vulnere pedẽ referre coactus fuisset. Eadem autem ratione fit, vt quo minus eisdem de rebus aliud, atque aliud conetur suadere: nihil ei sit impedimento,quare vt ad facinus impellat aliquod, extenuabit rem, in memoriam rediget(sed valde alieno quidem loco) quanta Dei sit in parcendo facilitas, atque clementia, aut eum talia non curare persuadebit. Facinore admisso eius prorsus contraria fuerit oratio,nam & ipsam rem miris exaggerabit modis,& omnia ponet ante oculos diuinę severitatis,vindictęq; exempla,ac tandem ad summam desperationem hominem adiget,ideoq; non agnoscatur dolus, quod cuius ea sit oratio non apparet,sed suas homo esse arbitratur cogitationes, forte cum istæ prioribus sint contrariæ, illas satanæ, has vero sibi tribuerit. Cum autem satanas sit spiritus, neque vllius sit materiæ pondere grauatus, nullis potest laboribus fatigari, non eum æstus,non frigoris attingunt iniuriæ, non enim capit somnus, non obliuio

livio, ex quo intelligere licet inceſſanter eum in nos moliri aliquid. Ac quicquid moliatur, id aut per ſe facit, aut per alios, per ſe facere dicimus quicquid vel ipſe tenebrarum rex facit, vel quilibet alius impurus genius, minus enim difficile nobis eſſet differentias eiuſmodi cognoſcere, per alios autem illa intelligimus eum facere ad quæ hominum vtitur opera, quaſi inſtrumentorum quorundam. Ac quicquid per ſe faciat, aut ſuam retinet perſonam, vt quum dei filio dixit, ſi proſtratus me colueris hæc omnia tua fient, aut mentitur perſonam cœleſtis angeli, vt quum ad ea hortatur quibus ad inuehendam in dei eccleſiam impietatem aliquam aditum ſibi patefaciat, eaque tegit admodum fucato, ſanctoque prætextu, atque hinc abſque dubio fuit magna ex parte illa maiorum noſtrorum tanta in eccleſias, ac cœnobia liberalitas, nam ſuppeditatis ijs qui ſoli ſibi omnem religionis curam vendicarunt ad omnem luxum opibus, atque inſtrumentis, ſequuta deinde eſt & doctrinæ, & bonorum morum omnium corruptio. Quæ per alios tentat, ab ipſo tamen initium habeant neceſſe eſt, initiumque hoc ſimiliter facit aut ſua retenta, aut aliena ſumpta perſona, ac quanquã omnia cum omnibus experitur,

Pietatis ſpeciẽ laruamq́, ſæpenumero induit.

experitur, plerunque tamen ſuam retinet cum deploratæ impietatis hominibus quos ad omne flagitij genus obſequentiſſimos ſibi eſſe expertus ſit. Cum ijs in quibus aliquod ſit pietatis ſtudium diſſimulat, pietatiſque ſpecie omnia conatur: illos ſui ſtudioſos facit: penituſq; obcœcat, ſpes oſtentans maximas, ampliſſima proponens præmia pro cuius ingenio, alios enim ambitioſos honorum onerat titulis: alios obruit opum affluentia: alios rebus alijs ſibi divincit. Hoſce autem paſcit cum rebus ex parte eiſdem, tum vero etiam opinione rerum ab ſe præclarè geſtarum. Intelligere autem eum hominum cogitationes aliter quam coniecturis ab ijs quæ homo facit, dicitque, & quæ ei contingunt ductis: non equidem contenderim, cum ſcriptum ſit: ſolum Deum hominum ſcrutari corda. Verum enimuero neceſſe eſt ſaltem capiendis coniecturis eiuſmodi, ac cognoſcendis hominum ingenijs omni opinione maiorem illius eſſe perſpicaciam, etenim ſi homo perſæpe aliquo ingenio, nonnulloque etiam rerum vſu edoctus, ſi cum altero perpaucorum dierum conſuetudo interceſſerit, quis ſit hominis ſenſus, quæ mens: quo ſpectet: quibus delectetur rebus, quibus offendatur, diſcit.

Quid

Quid faciat Satanas tam diu in hac versatu
palestra, tantusque veterator? Esse autem
præter modum magnam eam vim qua (mi
si eum Deus cohibeat) imponit Satanas
ex eo cognoscere licet, quod duàrum co
gitationum maximè coniunctarum alte
ram inijcere homini possit: alteram ei te
gere. Etenim quæ duæ cogitationes con
iunctiores esse possent illis, vt quæ De
sint oracula, quod ijs prædicitur omnin
futurum, & quin id contingat, nulla huma
na vi, aut consilio fieri posse? At potuit ta
men Satanæ opera vnum sine altero in He
rodis cogitationem cadere. Vatum enim
raculis de Regis Israeli promissi natiuitat
fidem adhibet: propterea qne à Principi
bus sacerdotum, scribisque sciscitatur qu
esset loco nasciturus: simulque tantum irr
rita illa posset facere, ei machinatur mor
tem: ac ne effugere posset callido illo max
imeque crudeli vtitur consilio, vt mitta
qui infantes omnes bimos, eoq; minore
Bethlehem atque in illius finibus conquisi
tos interficerent. Nisi enim hoc Satanæ fu
it opus, nullum certè fuerit. At quale ta
men hoc est fascinum? Vt quia in vatum e
set prædictionibus Iudæis regem nascitu
rum esse: persuasum habeat ita fore: & v
bi, & quando nasciturus esset ex prædicti
onib

onibus eisdem se posse cognoscere: sed posse etiam se eludere eas prædictiones, Deique impedire, atque irritum reddere propositum? Non est hoc vehementer mirum? Ex quo conijcere licet, perinde facere Satanam in hominum animis: ac si, vt impedias, ne quispiam aliquid videat: inter ipsum eamque rem interponas aliquid, aut teipsum: aut quoquo modo legas eam. Atque vt videat, quod eum videre velis, id illi ante oculos ponas: vt videlicet, quum cupit Satanas à cogitatione aliqua hominem abducere: illum alijs, atque alijs occupet: neque illi in eam mentis oculos conijciendi vllum vacuum relinquat tempus, quæ vero cogitationes ad suum faciunt institutum eas illi passim obijciat. Ac quod immanissimus iste humani generis hostis neminem dubitet aggredi: nemini dubitet insidias struere: demonstratum est filij Dei testimonio, à quo vt se coleret, petere non est veritus: sed quibuscum conficere aliquid possit, haud absurde quis dubitauerit. Dixerit enim, cum illis eum operam perdere qui Deum verentur: atque in illo suam positam spem habent. Quod eatenus quidem verum esse necesse est: vt non possit Satanas vllum Dei propositum irritum reddere: neque sanè facere, Quin Deus sua cumula-

Quo fuco sanctissimis viris nonnun quam impo sit.

cumulatissimè impleat erga eos qui sibi fi-
dunt, promissa. Verum quin ad multa tum
faciendum: tum dicendum impellat: non
vsque adeo est certum, vnde fuerunt enim
prima illa Antichristiani regni fundamenta?
Cuius opera Evangelium pristinum suum
amisit nitorem? Quis tantum hominibus
conciliauit authoritatem: vt iam Deorum
quorundam essent instar? Nulla ne hic Sa-
tanæ fuit opera? Immo vero cuius nisi Sa-
tanæ? Attamen quid de ijs dicemus homi-
nibus omnibus qui eam in rem qualem-
cunq; contulerunt operam non vllo pravo
consilio, sed tantum bonæ quadam spe:
quod rectè, sancteque se facere arbitra-
rentur, quodq; consilia sua magno cuipiam
ecclesiæ bono fore iudicarent? Neminem
ne eorum vlla fuisse pietate? Vllo Dei ti-
more? Neminem ex Dei delectorum nu-
mero? At cuius antiquorum patrum non
aliquid extitit eam in rem operæ? Dum e-
nim (vt Apostoli more loquar) super fun-
damentum Christum ædificarent, tametsi
fœnum, ac stipulas in opus conijcerent: ni-
hil id impediebat quominus possent & san-
cti viri esse, & ex Dei delectorum numero.
Sed fœni tamen stipularumque tantum est
allatum vt in vniverso ædificio præter fœ-
num & stipulas nihil esse cœperit, cumque

talem

talem res exitum vt haberet, à talibus etiam initijs exordiri necesse esset: negari non potest quin cui exitus tribuitur, eidem tribuenda sint initia. Et illud etiam Petri ab recta Evangelij semita diverticulum: cuius causa obiurgatus à Paulo fuit: nihilne redolet Satanæ spiritum? Immo vero non ipse Dominus Apostolis suis dixit: Satanam defixos in eos habere oculos, vt vehementer exagitaret, eisque fidem omnem excuteret? Quod etiam quin confecerit parum abfuit. Et quum negavit sibi cum Iesu quicquam esse rei: non ei ad id Satanam consultorem fuisse arbitremur? Tum certè fuisse non est dubium: quum Dominum à subeunda morte dehortaretur. Quibus ex rebus omnibus certa duci coniectura potest: Satanam vel cum sanctissimis hominibus conficere multa, non quidem vt eos perdat: sed certe vt ad plurimorum perditionem aditum patefaciat. Quod ipsum tamen non fit absq; summa Dei providentia. Vt inde paretur in ingratos, maximorumque eius donorum contemptores vindictæ: errorum videlicet tenebræ maximæ: & pijs, quominus cum mundo pereant, valde necessaria afflictionum exercitia. Itaq; fit vt sæpe etiam sanctissimi viri præter omnem opinionem, Satanæ suam locent operam: e-

iusque sint quasi ministri atque instrumen
ta quædam. Quoniamque quo eminenti
orem in Dei Ecclesia locum obtinueri
quispiam: si ei Satanas fucum facere possit
si eum aliquatenus flectere: eo ampliorem
inde capit fructum: credibile est etiam hi
eum summa omnia facere: vt tales viros i
aliquas passim alliciat insidias. Nequ
tamen vsque adeo cum magnis viris oc
cupatur: quin etiam obscurissimi cuiu
que meminerit, instar videlicet diligenti
simi patrisfamilias: qui ita res cure
magnas: vt ne minimas quidem negl
gat.

Non tantum autem occupatur Satan
inflictendis ad sua vota ijs quibus dictu
est modis hominum animis: immo vero
alia eius multo diversa sunt opera, ignē
cœlo detrahit ad perdendum Iobi oues, f
mulosque: magnam illam ventorum vi
Iob. 1. concitat, qua domus vbi eiusdē filij filia
que convivabantur, euertitur, illiq; per
unt omnes: ac eum ipsum deniq; grauis
mo excruciat morbo. Sed & magna edit m
racula, si quidē eius opera Pharaonis M
2 Thes. 2. gi Moysis imitantur miracula propem
dum omnia, & de Antichristo quod pr
dictum est: eum huius opera miraculis c
rum fore. Ex quibus omnibus conijcere

cet quantum ille possit in rebus etiam alijs quamplurimis: appellatur autem etiam *Princeps huius mundi:* quod frustra fieri non potest, immo vero conijcere inde licet: cum opes, honores, dignitates, res mundanæ appellentur: eas ipsius arbitrio dispensari magna ex parte.

Cum igitur tantas Satanas opportunitates habeat, quantas diximus: quicquid eius interest siue credi, siue fieri: vt faciat, credaturve dat operam, si falsis opus est rationibus: eas suppeditat modo per se, modo per alios. Si miraculis est opus: aut ea edit, aut edita fuisse multis dolis persuadit. Si ad rei valde absurdæ credulitatem quadam rerum serie est opus: vt à leuibus erroribus facto initio eo quasi per gradus quosdam hominum ducantur animi: facit id ingeniosissime. Cumque aliquid credi possit & falso, & quia ita se habeat: si ita expediat: dabit operam, vt habeat se ad eum modum. Quare cum ei expediat maximè: vt qui vera de religione docet, credatur aliquo turpi contaminatus scelere: atque ita authoritatis omnis iacturam faciat: collocabit ei insidiarum genus omne, vt incidat in aliquod, ipseque habeat de quo triumphet, sin id nõ potest: subornabit qui calumnijs hominis impetat famam: & si per

aliquem labefactare eam possit qui eadem dicatur profiteri dogmata: nihil fuerit optatius. Quare eos qui evangelicam professionem veritatem omni studio inter se committere cõabitur, aliquas ferat cõtroversias, lites, discordias, rixas, denique odia, quibus fiat: vt se mutuo maledictis lacerent. Atq; vbi expertus fuerit se iam veritati frustra resistere: ad divinas literas ea incitabit ingenia in quibus olfecerit minimum esse pietatis, proposita videlicet spe magni honoris, nominis, celebritatis, & plurimorum commodorum. His fauebit quantum poterit, vt magnam in opinionem veniant, ac demum ecclesiastica consequantur munera, vt cum postea in aliqua eos flagitia impulerit, idque palam fiat: infamia inde notetur veritas: ac minus postea fidem inveniat: cum vulgo illa multi iactent: heu, sic cine eos vivere qui quasi ex Deorum immortalium concilio ad religionis, & morum instaurationem missi videri volunt? Hæc igitur patrare illis magistri discemus? Hæc eorum noua, ac recondita quam tanto venditant supercilio sapientia? Si opes, honores, commoda, aut contra, inopia, ignominia, incommoda, afflictiones præstringere hominum oculos possunt præsto sunt. Si spes, metus, ira, amicitiæ, inimicitiæ

nicitiæ adiumento sint futuræ: earum illi unquam desunt semina. Si qua opus est onsuetudine: occasiones excogitat, quibus eluti necessitatem eius imponat aliquam: uthoresque subornat, & valde speciosos ddit colores.

Occasiones rei suæ undequaq; arripit.

Arripit vero vndecunq; Satanas ad sua nstituta occasiones, si quis enim imperius, ineptusq; sit, quascunq; voluerit fabulas, illi persuadebit, cumq; ineptissimis repleuerit erroribus, persuadet excellenti alicua donatum esse sapientia, eoq; nomine illi attollit animos, facitq, insolentem arrogantem, temerarium, si sit eruditus, adauget illi suæ eruditionis opinionem mirum in modum vt se solum scire aliquid sibi persuadeat, vt præ se contemnat omnes, neq; ferre possit. Si callido quispiam sit ingenio, parumq; religioso, eo commodissime vtitur emissario, atq; impostore ad omnia, fucis, mpostoris rixis, ac incendijs implendium. Si quis veri donatus sit cognitione, ac pietate aliqua, subijcit eum quantum potest contumelijs, hominumq; contemptui, vt nemo eius verba, documentaque vel flocci faciat. Sin impedire non potest, quin ei habeatur fides, dabit operam vt de eo nimia hominum sit opinio. vtq; prorsus Dei habeant loco. si populus sacrorum librorum

deſeruerit lectionem: excutit illi omnem
Dei timorem: allicet paulatim ad voluptā
tes, ad luxum, ad vitæ licentiam, omne lii
bidinum genus, denique ad beluinam
quandam vivendi conſuetudinem. Si colet
ea ſtudia: lites, diſcordias, & alia omnii
quæ diximus inde ſerit mala, quum labe
factare non poteſt doctrinam: machinā
admovet moribus: aut ſi hic fruſtra labo
ret: doctrinam impetit. Plerunque auter
ſimul molitur vtrunque perſpecta hom
num ſocordia magnos conatur progreſſu
facere: ſi paulo offendat cautiores: cœleſt
cuiuſpiam atque inſignis angeli perſonā
ſumet, inflammabit hominum animos m
mium ſanctis (vt ſic loquar) cogitation
bus, quibus videlicet præfixos diuinæ di
ciplinæ terminos rranſgrediantur. Exem
pli gratia, cum nihil ſit præclarius, quā
paratum eſſe quotieſcunque gloriæ D
poſtulaverit ratio, atq; ad id impellat D
us: mortem in Evangelicæ veritatis teſt
monium oppetere: ambitioſum alicui t
lis mortis deſiderium iniecerit: vt ea rat
tione nomen ſuum memoriæ hominu
commendet ſempiternæ. Nam talis quide
mortis deſiderio diu flagraſſe dicitur O
genes: & vltro eũ occaſiones captaſſe. Quo
quidem vix eſt vt potuerit ab vllo bo

pro

proficiſci ſpiritu, cum videamus ne ipſum quidem Dei filium ad ſupplicium ſuum maiores attuliſſe animos, quàm opus eſſet. Quippe qui orauerit etiam patrem vt (ſi fieri poſſet) declinare id liceret: ſed vt eius tamen, non ſuæ ſatisfieret voluntati. Ex quo apparet id mortis genus horrori ei fuiſſe etiam: tantum abeſt, vt ad id cupidius ferretur, niſi quatenus & patri erat obſequentiſſimus, & noſtram ſitiebat ſalutem. Quod cum ita ſit: qui fieri poteſt, vt prælientiore fuerit vel Origenes, vel quiſpiam alius animo: quàm ipſemet Dei filius? Vix igitur carere deſiderium eiuſmodi aliqua temeritate poterat, & nimia eaque inani rui confidentia: quod accidere etiam potuit ipſo (quomodo fieri potuiſſe pluribus exemplis alibi docuimus) minime animadvertente. Magna martyrum præconia (vtamur enim nunc quidem vſitato iam hoc verbo) eaque gloria quæ ſupplicio propter Chriſti nomen affectos ſequebatur: hominum non nihil titillabat animos. Ad eundem pertinet authorem tanta illa, quam diximus, veterum in eccleſiaſticis cenſuris ſeueritas: quæ tantum epiſcopis conciliavit venerationis, atque authoritatis: vt eiſdem ad domiuatum in populum atque ipſos etiam in reges aditum patefecerit.

rit, fieri etiam potest vt Satanas sanctis faveat cogitationibus,& quasi calcaria currēti equo addat: vt opportune mox ad insidias perducat. Quod fecit cum vt se viri potentes, ipsiq; etiam reges aliquando improbis subijcerent pastoribus: viris pijs quidem illis ac sanctis summam conciliaret veneration em, cuius postea, vt diximus alibi, hæredes essent successores, qui a maiorum sanctitate paulatim cum degenerent: tandem authoribus illa in bonorum oppressionem, tyrannidemq; verteretur, & quum, vt simulatores episcopatus aliquando ambirent, extimularet opulentos homines ad exercendam in episcopos qui donata pauperibus destribuerent, summam liberalitatem & mox (vt ad successores perveniret), in ipsas etiam ecclesias, quæ quanta fuit astutia? aut quis talem liberalitatem initio suspectam habere potuisset? Nunc autem quo res evaserit videmus. Sic, vt persuaderit in ciborum discrimine pietatem esse: persuasit primum castigandum esse corpus eorum ciborum abstinentia qui illud multum nutrirent admodumque validum redderent: atque illorum vsu qui extenuarent, eneruarentque; sic illud spiritui, rectæque rationi obsequentius futurum: sic Dei præceptis obtempera-

rī

ri facilius posse: cum deinde causa quamobrem id fieret in oblivionem venisse: maneret autem mos certis diebus à certis cibis abstinendi: facile fuit pietatis opinionem ejusmodi abstinentiæ appingere.

Sũmã autẽ veteratoris huius studiam, lites serere ac dissidia.

Sed hujus quidem veteratoris summa cernitur astutia, callidita sque in serendis litibus, ac dissidiis: eò enim quum ventum est: vt jam ex hominum manibus excutere sacros libros nequeat: & accendit eos insatiabili quadam omnia (ea etiam quorum nullus sit vsus) sciendi siti: & quotidie scrupulos injicit, ac quemcunque injecerit scrupulum: persuadet etiam quantum potest, ejus rei veritatem omnino cognitu esse necessariam, atque vtramcunque in partem inclinaverit judicium: sequitur vt persuadeat etiam qui ea in re aberret, salutis esse participem non posse. Itaque ejus esse officii, quod ei Deus patefecerit, id vt aliis etiam patefaciat: cumque Satanas eadem de re alia aliis persuadeat: hinc sunt controversiæ, ex quibus quominus vlla sequatur veri cognitio, sed potius tenebræ offundantur hominum oculis, eæq; indies majores: vtque oriantur inde discordiæ, dissidia, rixæ: & vt se mutuis lacerent injuriis: neq; vlli concordiæ spei relinquant locum: in sui quemque admirationem

tionem ducit quantam potest maximam: adeo, vt sibi quisque deus esse quidam videatur, à quo fas sit omnis, vivendi, credendique acceperе leges. Id quod hominis ingenio sui plus satis amanti aliud est nihil quàm currenti equo addere calcaria. A nimia verò quam quisque de se opinionem habet homo, oritur temeritas: qua fit, vt quicquid in buccam venerit, effutiat: quicquid occurrerit nullo adhibito diligentiori examine pro certo statuat. Idq; tanquam oraculum quoddam pronunciet, ac quo confidentiora elicere callidissimus hostis verba potest: eò præclatius secum agi putat. Sic enim (vt alibi dictum est) videatur nisi magno cum dedecore retractationi nullus prorsus relictus locus, & si quis se objiciat: tantam confidentiam summa etiam insolentia eo quicunque sit, contemnendo sequatur oportet. Ac quo melius assequatur quod vult: vt par est odisse falsa quælibet dogmata, eaque conatu omni delere: ita conatur ille persuadere maximo dignos odio esse, atq; execratione quicunque tueri falsum aliquod velint dogma, & quisquis ex animo deum colat: ab eo exigi, vt talia suscipiat odia: homines ejusmodi tam factis, quam verbis accipiendos esse quam durissimè. Si quis in ecclesia pasto-

ris

ris obtineat locum, aut doctoris, & si qua sit hominis existimatio: ob oculos ei ponit muneris dignitatem, qua eum veneratione colore quemque deceat, cujusq; officium esse, vt ei fidem habeat: neque litem ei movendam putet: qui secus fecerit, eum impudenter, arroganterque facere: ea ratione sacri ministerii everti, & conculcari dignitatem. Qui id tentet: perinde facere, ac si Deum ipsum de suo solio conetur dejicere. Si quod ejus verbum habeatur falsum: omnem religionis fidem concidere oportere, ac simul Christianam funditus everti rempublicam non secus ac si is esset vnicum quo ea niteretur, staretq; fundamentum: ac Deus ejus curam omnem abjeciisset. Qui nullo tali fungetur munere, ejus subjiciet cogitationi: scientiam non esse cum vllis conjunctam muneribus: neq; positam in vulgi judicio, quod sæpe ineptissimos quosdam valde suspiciat, ac miretur: eum etiam si tanta non polleat authoritate, scientia tamen antecedere: quare nisi cùm eo æquali omnibus in rebus vtatur jure sive ecclesiasticus pastor, sive doctor: id ei tanquam magnam aliquam depinget insolentiam, ac superbiam: quin etiam tyrannidem minimè ferendam: rem autem vehementer sanctam, ac magna dignam

laude

laude fore: si quis se objiciat: ac tales conetur tyrannides evertere. Itaque vna manu (quod proverbio dicitur) ignem adferens, altera stramen, vbicunque potest, quam maxima facit incendia: ac quominus vnquam restinguantur, materiam addere nunquam cessat. Aquam hoc est, humanum, lene, prudensque ingenium quodcunque arcet ab incendiis quantum potest, ne quid opis afferat ad ea compescendum: sed illud fiat potius quod dicit Ennius:

Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.

Ita furore inflammati animi omnia faciunt, dicuntque temerè, inconsideratè, insolenter, superbè: ac tam multa interserunt extra causam: vt vix centesimum quodque verbum ad rem faciat. Quicquid semel pronunciatum fuerit, nunquam patitur execrabilis iste hostis (si modo impedire possit) retractari: exigendis autem retractionibus facit quàm maximè potest rigidos: nihil pronunciatur integrum: nulla est audiendi patientia. Ex quo fit vt inter se non intelligant: vtque sæpe de aliis interrogati, de cæpis respondeant. Quapropter alius alii ea tribuit quæ neque dixit, neque fortè cogitavit vnquam: quibus de causis

sis quid alius in alium machinetur, nulla exprimere possit oratio. Nunquam tam turbatus est Septentrionalis Oceanus, quin multo turbulentior nonnunquam ecclesiæ status videatur. Hic videmus fratrum nostrorum alios crudelissimis subjici cruciatibus, alios nequissimo hosti cedere; & præ metu in Dei dedecus, opprobriumque quicquid illi collibuerit facere: illic audimus & tympana, & tubarum clangorem, & bellicis tormentis edita tonitrua, & sævissimas in nostrum sanguinem, nostraque viscera se mutuo cohortantium voces. Fit ante oculos nostros horrenda nostrorum cædes: non ætati, non sexui parcitur; quæruntur ad necem, vel ipsi nondum in lucem editi partus, & multas in partes discerpuntur. Quid nos interim? Hæc scilicet nihil nos movent: sed egregiè litigamus, contendimus, rixamur. laciuntur vltro citroq; contumeliæ, maledicta, probra petulantissimè ita dehonestatur indies magis, ac magis cõmunis causa, atrociora indies concitamus in nos odia: & communi hosti ferrum quod in nosmetipsos aliquando stringat, exacuimus: ac ligna illi quibus nostramet incendat corpora, suppeditamus. Ac tantus est artifex Satanas: vt neminẽ sinat intelligere

in

in se quicquam esse culpæ: in adversarium quisque suum crimen rejicit, extra omnem culpam, causamque ponit. Magna mihi copia esset commemorandi quæ videre, audireque est quotidie, multis profectò digna lachrymis. Verum ne cujusquam incurram offensionem, ideoq; minus fructuosa apud eum nostra sit oratio: nominatim ea recensere supersedeo. Sed mirum in modum me affecit quod accidit non ita pridem civili bello ex religionis controversiis miserè flagrante Gallia. Editus est libellus quo omnes propemodum quotquot in Evangelii restitutione aliquid sibi nominis pepererunt, adeò contumeliosis indigniſq; fœdabantur nominibus: vt clementius multò excipi à Pontificiis soleant: & erat tamen libelli author qui earundem partium diu fuisset habitus. Hem (inquam) hominum amentiam: siccine illic tam miserè flagrare omnia intestino bello: nos autem hîc tam turpiter, tamq; indignè abuti otio? Sed hominem ita obcæcaverat ira: vt quid faceret, & quàm jucundum spectaculum Satanæ praberet oculis, animadvertere non posset: & qui refellere nihil possunt nisi primo quoque verbo contumeliarum aculeis pugnant, discere ne quidem sæpissime experti nequeunt: tali ex semente non nisi

talem

talem esse messem expectandam.

Talem igitur cum habeamus hostem, cujus fallendi artes tam sint occultæ, variæ, multiplices, vafræ: cujus tam diuturna sit exercitatio: cujus jucundissima, suavissimaque sit quies (dum aliqua re nobis incommodet) nunquam quiescere: quid nos faciemus? Dabimus nos somno, ac desidiæ? Non circumspiciemus? Non cavebimus nobis? Blandietur quisque sibi: vt putet aliis quidem ineptis hominibus cavendum: eos vt vigilent monendos: se prudentiorem jam factum, quàm vt possit amplius vllas allici in insidias? Atqui hoc est omnium quæ ille conatur summum. Quin etiam rarò frustra, vt homines (eos præsertim qui authoritate valent, quorumq; in prudentia vigilantiaque sita esse ecclesiæ videatur salus omnis) in talem de se adducat opinionem. Ego verò certissimè persuasum habeo vt quisque à Satanæ laqueis longissimè se abesse sibi persuadet: ita eum illis esse proximum. Quid dico proximum? Immo eum illis jam quàm arctissimè constrictum teneri. Scilicet tyrunculus cui cum callidissimo veterano sit negocium, non in maximo semper versaretur periculo: sis enim tanta prudentia, sagacitate, sapientia, rerum vsu: vt omnes homines facilè antecedas.

Excutienda ergo securitas, arma induenda contra hostem tam vafrum, tam varium.

Quid

Quid adhuc præ illo fueris nisi novus miles? Quòd eò sanè à me non dicitur: quia ad ejus actus, doloſque declinandum nihil spei relictum videri velim. Est omnino spes: & illa quidem certissima: sed quibus? Profectò non suæ nitentibus prudentiæ, aut sagacitati, neque securis, oscitantibus, sibiq; non caventibus: aut iis qui quali cum hoste res sit non considerant: propterea que contemnunt: sed iis qui, cum pericula probè comperta habeant, pro periculorum magnitudine idonea ad resistendum, hostemque repellendum arma sibi comparant quæ arma pulchrè describit Paulus. Vult enim *lumbos Christiani militis cinctos esse balteo veritatis*, quo requirere videtur sinçeritatis amantem animum, à quo omnis absit hypocrisis, sive simulatio, & fucus: & qui seriò ad pugnam se comparet: vult *pectus armatum thorace iustitiæ*: vt bona adsit conscientia: quòd quicquid facit, id ad Dei gloriam collatum velit, nec suis id sese metiri vel commodis, vel incommodis, vel vllis aliis rationibus ipse sibi sit testis: vult *pedes indutos calceis Evangelij pacis*: vt discat spinas ignominiarum contemnere, atque obliviſci: neq; ad vllas vlciscendas injurias animum adjiciat: sed potius ita se comparet: vt cuiq; pro malo bonum paratus:

tus sit reddere. *Latus tegit clypeo fidei*: quo intrepi dè ignita iniquissimi hostis vel potentiæ, vel summæ ad fallendum calliditatis animum despondeat: sed certò statuat se sub eo militare imperatore, qui necessario tempore destituturus se non sit: quinimmo idoneo consilio, atque satis firmis viribus communiturus: ei esse curæ se: illi ad & ab omnibus satanæ dolis, insultibus, conatibusque servandum satis esse sapientiæ, viriumque: quamobrem quod trepidet nihil esse, *armat caput salutis galea*, vt prementibus afflictionibus salutis eum consoletur expectatio: quippe in qua tot tantaque insint bona: vt ne minima quidem parte ea vlla assequi possit cogitatio. Manum denique armat gladio spiritus (hoc est) Dei verbo, quo & hostis ictus citra offensam accipiat, & ipsum hostem vulneret, ac planè conficiat. Sed quominus loco eius fiduciæ quam sic armatus in Deo positam habere debet, ignava vlla securitas ejus in animum irrepat: preces vult addi, atque ejusmodi quidem preces quæ ab animo proficiscantur & periculorum non inepto æstimatore, & suæ imbecillitatis conscio, & divinorum promissorum memore. Cum precibus conjungit vigilantiam: quo admonet ita expectandum à Deo opem: vt

te interim circumspicere oporteat: obser-
vare satanæ ingenium, vt nunquam non ob
oculos habeas quis sis, quod tuum sit mu-
nus, quis rerum status, quæ tempora, deni-
que qua parte quoquo tempore, ac mo-
mento agredi te satanas possit. Non quo in
tua ista vigilantia tuam positam spem ha-
beas ex satanæ insidiis elabendi: sed me-
minisse nos oportet ita promissam esse no-
bis divinam opem: vt velit tamen eam no
non dormitantes, sed vigilantes ab se expe
ctare. Sic pius ille agricola à Dei quidem
liberalitate, ac providentia messem expe
ctat: sed interim non dat se desidiæ: quin
potius fundum colit: & cum fide suum
conjungit sudorem. Addit postremò Apo
stolus etiam perseverantiam. Etenim cum
ab isto hoste nullum sit tempus, nullum
momentum periculo vacuum, nulla vn
quam pax, nullæ induciæ: quis quæso au
exuere se posse arma, aut de excubandi sol
licitudine remittere vel tantillum poss
absque summo, certissimoque periculo spe
raverit?

Hæc sunt quæ in præsentia de satanæ dicer
potuimus stratagematib. Quibus etsi mul
to plura addi potuisse non negamus: vide
tur tamen quę patefacta per nos à Deo sun
(quo nomine immortales sunt ei gratiæ ha
bendæ

bendæ) tot ac tanta: & ratio ad illa declinandum adjecta ejuſmodi. vt ſi quis non tantum ſemel ea percurrerit, ſed ſæpe diligenterque perlegerit, memoriæ mandaverit, ac frequenti cum meditatione, tum verò obſervatione, exercitatione, atq; vſu familiaria ſibi reddiderit: facilè intellecturus ſit: ad ſuſtinendam hanc pugnam artis ſibi acceſſiſſe plurimum, ac prudentiæ. Vt ſive tenebras offundere conetur ſatanas Evangelio: ſive mores corrumpere: ſive novæ cujuſpiam tyrannidis fundamenta jacere: ſiue ejuſdem Evangelii remorari curſum: quid moliatur facilè poſſis olfacere: & qua ratione ejus frangi conſilia poſſint, videre. Expendendum eſt autem etiam atque etiam: quàm horrendæ ſint iſtæ clades: illatæ Evangelio tenebræ, ejus curſus retardatio, morum corruptio, eccleſiaſtica tyrannis, conſcientiarumque carnificina. Succurrat enim nobis Iſraeliticus populus, ſed præcipuè Phariſæorum, Scribarum, Sacerdotumque inaudita cœcitas, quibus non clariſſimæ vatum prædictiones, non tot tantaq; miracula ad eum ipſum agnoſcendum quem tanto expectarant deſiderio, aperire oculos potuerint. Eſt ante oculos Pontificium regnum. Infelix populus quos, aut quales nactus eſt paſto-

res? Quibus ſuam credit ſalutem? quos errare credit non poſſe? Quæ commenta, quæ ſomnia, quas nugas paſſus eſt ſibi Evangelii obtrudi loco? Quàm fœdam, quã abominandam, quam exitioſam patitur ſui exerceri mercaturam? Vt emat pro medicamento venenum, pro ſalute damnationem, pro vita mortem eamq; ſempiternam? colit pro Deo aurum, argentum, ligna, lapides, atq; alia ineptiſſima ſuæ amentiæ inventa. Cumq; Apoſtoli vno propemodum momento Evangelium per totum terrarum orbem diffuderint, ad idem reſtituendum quandiu, ac quam parvo cum fructu laboratum eſt? Ad garrulitatem, ad cõtentiones, ad pugnas ſatis multi ſunt inſtructi: ſed veræ pietatis non tam multa apparent exempla ad nos conſolandum, & exhilerandum, quam extent impietatis ad copioſiſſimas nobis lachrimas (niſi prorſus lapidei eſſemus) exprimendum. Hæc aſſiduè meditari omnes qui Chriſtum amant decet: ſed eos præcipuè, qui eccleſiæ tractã gubernacula: ne qua fortè fiat ratione, vi imprudentes immaniſſimo huic hoſti ad ſua patranda facinora ſuam locent operam. Væ miſero cui quidem id acciderit: etenim ſi *ei qui fratrem ſuum fatuum appellaverit, ſempiterni ignis pœna eſt propoſita*

ſi præſtaret cuilibet molari lapide de collo apenſo in mare mergi quam quenquam vel minimum eorum qui Chriſto fidem adhibent, offendere: & ſi pro ſcelerum, criminumque magnitudine daturus quisque eſt pœnas: cum dictum ſit oppidis quibuſdam inquibus abſq; fructu multa fuiſſent edita miracula, fore, *vt in die iudicii cum Tiro, Sidone, ac Sodoma mitius agatur quam cum illis*: quas pœnas manere putemus eos qui cum Satana in plurimorum populorum perniciem, inq; Chriſti regni deſolationem conſpiraverint? Vide quid interſit: appelles ne tantum fratrem tuum fatuum: an vitam ei auferas, neq; hanc modo temporariam, ſed æternam: neq; vni ſolum homini, ſed multis: neq; etiam multis ſolum hominibus, ſed multis populis. Neque vero te excuſauerit quod ignoranter feceris: cum potueris traditis tibi dei oraculis quibus quid te ſequi, quid cavere oporteret monereris, non ignorare. Si inquam pro tam leui delicto ſubeunda æterni ignis eſt pœna: quid pro hoc fiet tam immani facinore? Vide quid hoc rei ſit: ex maximis, ac ſupra omnem humanam cogitationem poſitis dei laudibus vix vllam nominare maiorem poſſumus: quam quod pro redemptione noſtri ipſum filium ſuum morti tradiderit.

Quale porro eius factum fuerit, qui cuiusquam perniciei vllam præbuerit causam, quam ve apud deum detestandum? Væ igitur vobis qui inanem captantes auram, vt siue ingenio, siue eruditione valere aliquid videamini, aut importuna curiositate adducti controversias, lites rixasq; serendi finem nunquam facitis. Væ vobis qui, vt vestris indulgeatis odijs, invidiæ, æmulationi, vestræq; seruiatis existimationi nescia cui: lites non modo non compescitis, sedatisue: sed etiam irritatis magis ac magis animos, easq; sic immortales redditis. Væ vobis qui siue animi prauitate, siue etiam incuria ad tanti momenti res tractandas nullam affertis reuerentiam: neq; quid faciatis, expenditis: atq; ita offendiculis repletis omnia. Væ vobis qui defixis in vestram tantum dignitatem, existimationem, vulgi de vobis opinionem oculis, vt Deorum quorundam locum apud homines obtineatis, fratres vestros contemptui habetis, affligitijs, opprimitis, atque in eorum conscientis dominium quoddam vobis vsurpatis: atq; ita satanico regno muros circunducitis: & propugnacula exædificatis: væ (inquam) vobis, væ, væ: quam horrenda vos manent in die illa supplicia. Neq; verò hæc dico nunc solis Romanis Pontificibus, Cardinalibus

libus, eiuſq; ordinis hominibus, quid enim eſſet aliud, quam operam & oleum perdere? Illis dico quos auribus adhuc eſſe præditos ſpero, quibus audiant: qui cum Chriſtum ament: merè callidis oppugnantur ab Satana inſidijs: vt eorum nihil tale ſibi perſuadentium ad ſuos conatus vtatur opera, caueat ſibi quiſq; non Romæ primum natus Papatus eſt: ſed iam inde à primis parentibus ducit originem, nemo eſt noſtrum, qui non ſuum in pectore Papatum geſtet prima quaq; occaſione certiſſimè eum proditurus, niſi magna prudentia ſe ipſe exploraverit, ac ſibi plane vim fecerit, intelligant quibus ſunt aures. Væ miſero illi cui contigerit, maximam cernere damnatorum hominum turbam ad quorum perniciem qualemcunq; ipſe, vel ignarus operam contulerit: præſertim ne admonitus quidem ſibi caverit, qui quæſo poterit Dominici vultus ſeveritatem ſumma cum maieſtate coniunctam ferre? Qui tum animus erit? Quæ mens? Qui ſenſus? Item fratres valeant ambitiones, ſumi, iræ, ſimultates, lites, diſcordiæ, aliæque affectiones omnes, ſit noſtrum omnium vnum cor, vnaque voluntas, ſit vnus omnium noſtrum ſcopus Chriſtus, eiuſq; nominis gloria, excutiamus aliquando eum ſomnum per

quem

quem fit, quominus cernere quę nobis collocatæ sint insidiæ possimus. Neq; vero applaudat sibi aliquis: iam se in portu nauigare, iam se extra omne esse positum periculum: huiusmodi exhortationes alijs fore vtiles, repeto enim quod paulo ante dixeram, qui ita secum ratiocinetur: quisquis tandem sit, eum aut laqueo esse proximũ, aut artissime iam constrictum teneri. Satanæ scilicet illa est oratio qua securum, inepteq; confidentem reddat hominem, cuius mos est: tum maximè polliceri pacem: quum nihil minus est quam pax. Caue tibi (inquam) caue immo vero cum, qui nobis propositus sit hostes, noverimus: induamus quæ modo diximus arma, præcipuaq; illa nostra sit cautio, vt vereri nunquam desinamus, quin immo, quo maiores in illum progressus feciſſe videbimur: eo cauendum nobis ab illo magis esse certò statuamus, quo fiat vt neq; cessemus vnquam à Deo precibus contendere, vt nobis laqueos ostendat, sed cuiq; (inquam) suos: non tantum qui vicino sint positi, est enim sic precandi necessitas omni prorsus fide maior.

FINIS.

IACOBVS ACONTIVS IOHANNI WOLFIO TIGVRINO. S.P.D.

QVòd lucubrationum tuarum editionem nequaquam tibi præcipitandam putes: quin potius Horatii consilio nonum vt in annum premantur suadentis, parendum: ego verò mi Wolfi pudorem in eo prudentiamq; vehementer laudo tuam. Quid? Ergo ne tanto eruditissimorum hominum quibus hoc seculum floret, theatro nihil commovebimur? Cujus id esset frontis? Sed vt sapienter est ab eodem Horatio dictum:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines:
Quos vltra, citraq; nequit consistere rectũ.

Vt enim faciendum non est, vt edas: quæ, si limam adhibueris, politiora possis reddere: ita neque premenda nimis diu sunt, quæ & aliis fructum, & tibi laudem possint parere. Ac tametsi facilius multò eam in partem peccatur: vt nimis facilè, ac repentè sibi placeant: esse tamen & in partem contrariam,

si nunquam tibi placeas, peccato locum, ve
ex eo cognoscere licet: quòd si majores no
stri nimium verecundi, cautique esse voluis
sent: nulla nobis monumenta suæ reliquis
sent industriæ. Itaque nos pro tam culto se
culo, rude, agreste, ac rerum omnium igna
rum haberemus. Sed illud in primis laudo
quòd omne scribendi edendique consilium
non inanis auræ cupidine, sed publicæ vtili
tatis ac Dei gloriæ ratione gubernari velis
Pleriq; præter laudem nihil spectare in scri
bendo videntur. Ex quibus tamen qui saltem
intelligunt qualibus nam scriptis laus debe
atur aliqua, taliaq; elaborare studeant: ferr
vtcunque possent: non aliter atque ii, qu
pro patria fortiter illi quidem pugnant, no
tamen patriæ causa, sed suæ gloriæ. Sed qui
iis facies, qui cum ipsum scribere, qualecunq
sit, laudi ducant: nihil in scribendo propos
tum habere præ se ferunt quàm vt scribant
Miraris, opinor, ejusmodi vllos esse: & meri
tò. Quid enim ineptius? Sed vnde nobis in
dies tanta scriptorum turba, eorum qui cum
nihil de suo quod proferant habeant, præte
fortè inanes nugas quasdam, aut deliria: tan
tùm hinc inde suffurantur & res & verb
ex quibus suos conflent libros? Neq; inte
rim quicquam ita aut exprimant, aut com
probant, aut collocant: vt non multò mal
apu

apud eos vnde sit depromptum legere. Etenim nullam ad rem ingenioſi ſunt, præterquam ad ſpecioſos titulos excogitandum: quibus ex hominum manibus bonos libros extorqueant: ac ſuos eorum loco obtrudant. Et tam ſtolidum eſt vulgus: vt, quos expuere debuiſſet, & ſuſpiciat nonnunquam, & celebret. Sed iſtos ſanè mittamus: quippe qui pro merito tractati non niſi prolixa poſſent invectiva. Illud potius videamus: qua ratione nos in eo genere declinaturi omnem culpam ſimus. Quid enim ſi ſolam quidem vtilitatem publicam ſpectemus: ſed (vt ferè fit) nobis plus æquo noſtra placeant? An putas impunè laturos? Quo nam autem tandem pacto ſtatuere poſſis tuum de tuo judicio rectum eſſe judicium? Cum tam multi in eo errent: qua ratione te non errare intelliges? Ardua res eſt; ac neſcio an vlla magis: amicis, inquies, plus de me credam quàm mihi: at verò id multò eſt dictu facilius, quàm factu: ſed facturus ſanè ſis: quid ſi amici parum ſinceri ſint, vt nolint: aut nimis verecundi, vt non audeant quod ſentiunt proferre? quid ſi fuerint aliis in rebus (quod plerunq; accidit) occupati: vt quod oportebat cenſuræ tempus dare nequeant? Sed mitte hæc omnia: quid denique ſi ne illi quidem judicio ſatis valeant? Dices, non niſi probatiſſi-

mos quoſq; adhibebo. Cujus judicio proba
tiſſimos? Vulgi ne à Minimè præclarum tr
quidem authorem narras. An tuo? Atqui v
certus eſſe poſſis, te in eo haud errare: com
ſtare tibi oportet rectum eſſe judicium tuũ
Quod ſi fiat: jam alieno opus non habes: ſe
certè & ſi multi judicium ſibi tribuunt: quii
bus nullum eſt: quibus tamen revera eſt, in
telligant etiam ſibi eſſe, neceſſe eſt. Sive di
illo agas judicio quod naturæ adſcribitur
multarumque rerum cognitioni atque vſui
ſive de illo quod à divino proficiſcitur affla
tu. Quemadmodum vt multi exiſtant, qu
in quibus errant, ea ſe ſcire falſo ſibi perſua
deant: qui tum re vera ſciat aliquid: id ſe ſci
re non poteſt non intelligere. Neque enim
ſcire diceretur vnquam: niſi ſe ſcire intelli
geret. Itaq; periculum non eſt ne ſi judici
valeas: eo te falſò carere opineris. Sed con
trà, ſi careas: ne illud tibi adſcribas. Inept
autem fecerit qui cum per ſe certò intelli
gere poſſit vtilem ſe operam ſcribendo au
navaſſe, aut navare poſſe: judicem adire ali
um velit. An verò qui veritatis Evangelic
ex Pontificiis tenebris in lucem vindican
Principes fuere: ſi plus cuiquam credendu
quàm ſibi cenſuiſſent: Romanæ ſe oppoſui
ſent eccleſiæ? Interfuit igitur plurimu
Chriſtianæ reipublicæ eos, cum rectè judi
carent

arent, aliorum non pluris facere judicium,
uàm ſuum: neque ſanè expectare, dum ad
ribendum hortatu cuiuſquam impellerentr, ſed eos ad id ſua ſponte excitari. Quandoquidem autem in eam partem frequenſimus eſt error: vt multum ſe videre arbientur qui nihil aut parum vident: ſintque iam quidem judiciorum quaſi gradus: vt quibuſdam rectè judicare multi valeant: aliis non ita multi: de nonnullis perpautantum quidam: atque ita fit plerunque non eum quem debet ſibi vendicet quiſe locum: optimum mea quidem ſententi conſilium fuerit, ſi vnuſquiſque ſuum a. quando vehementer ſuſpectum judicium buerit. Non vt animum deſpondeat: ſed diligenter exploret ſuas vires: & quantum dere poſſit compertum tandem habeat. uoniamq; ſenſim irrepere in hominum pam attendentium animos ſtulta ſolet confintia: eaque vbi invaluit, præſertim ſi polaris aliqua nonnihil aſpiret aura, diffidenlocum relinquit nullum: illa vna ratiovidentur ad modeſtiam revocari omnes ſſe: ſi tantùm inſpiciant quàm magnus erit in omni ætate numerus eorum, qui cũ i de ſe ſumma omnia promiſiſſent, ridiculamen præter modum evaſerint. Quid em hinc ſequitur aliud: quàm conjunctum

cum hominis natura esse, vt sibi, suisq ue piu
æquo faveat? Quisquis ergo hominem s
esse meminit: ei simul in mentem veniat: &
si animadvertere non potest quibus in re
bus, aut quo pacto nimia ineptiat confiden
tia: & se tamen ejusmodi esse morbo obnox
ium. Itaque placent tibi fortasse ingenii tu
fœtus? At quamplurimis placuerunt sui, qu
tamen probari aliis nequiverunt: quid si ic
ipsum contingat tibi? Cavendum est erg
primùm te tibi tui ipsius amor non satis re
ctè judicare de tuis permittat (id quod su
cepta sæpe obtrectatoris persona, atque a
vnguem examinatis singulis assequere) tu
autem operæ precium sanè fuerit certò al
quo signo semel quale tuum sit & ingeniu
& judicium cognoscere: & quantum ei tr
buturus rectè sis videre. Ac quandoquide
& tu prolixas à me requiris epistolas: & cu
conjunctissimo amico vel nugari persæ
dulce est: quæ nam indicia colligere hac
nus hunc in vsum potuerim, exponam.
primis autem intelligentis judicii illa ce
videtur esse nota: si multa tibi in mente
sua sponte indies veniant, quæ cum summ
rum hominum judicio congruere postea
prehendas. Etenim statuere non possis
cto illos vsus fuisse judicio: quin idem de
statuas. Firmi est etiam judicii signum: si p

posi

positis eisdem rationibus atque de integro expensis præjudiciis, pertinacia, animique affectionibus omnibus valere jussis: idem semper judices. Qui enim eadem de re aliud atque aliud judicet nulla nova adductus ratione: sed ideo quòd ratio eadem modò plus, modò minus habere ponderis videatur: eum sæpe errare certum est. Subtilis autem judicii qui fuerit sæpe errare? At verò magnum infirmi judicii argumentum est: si, quas res aliquando maximè certas habueris, in iis postea errasse te toto cœlo deprehendas: & si id accidat frequentius. Sic etiam nihil tua sponte animadvertere, nihil judicare posse: nisi semper quos sequaris habeas: ingenii est valde imbecilli, & qui de rebus multis contra judicat quàm quos mirata est ætas omnis: necesse est eum judicio esse aut divino fortè quopiam, aut certè nullo. Hisce argumentis si quis ingenii, judiciique sui vim diligenter diuque exploraverit: næ ille à scopo haud longè aberraverit. Sed alia est adhuc adhibenda cautio: vt quam audax sis, aut quàm timidus natura expendas. Audacia enim plus æquo tibi tribuere conabitur: pudor autem minus. Quocirca ad certius faciendum judicium addēda sunt experimenta: quæ tuam de te opinionem aut non æquabunt, aut fortè superabunt etiam

tiam: itaq; animos aut addent, aut cohibe-
bunt. Cognitis ingenii viribus alia sequitur
consultatio explicatu minimè facilis: quam
absoluta esse oporteat ea quæ in publicum
emittas. Nam si numeris omnibus esse arbi-
treris oportere: nemo quicquam rectè edet
vnquam. Apparet ergo ea quoque edi lice-
re: in quibus quod desiderent, sit aliquid. Ac,
ne nimis longum faciam, mea quidem hæc
est sententia: vt quam in ætatem inciderit
videas: & quid suscipias: cujusque rei gra-
tia: hoc est qua nam magna vtilitatis spe ad
ductus, expendas etiam atque etiam. Quæ
literis mandavit Iohannes Hus. si ætatem
qua floruit respicias, planè aurea sunt: si cum
nostrorum hominum monumentis confe-
ras, nullius sunt pretii. Ergo talia ætate illa
emittere omni fuit laude dignum: hodie ve-
rò edere etiam paulò meliora magnæ fue-
rit inscitiæ. In occasionibus etiam multum
admodum est positum. Sit enim locus ali
quis pertractatus quidem jam optimè: sed
non sit ex iis quos maximè oportebat, qui
legat: sit autem spes novo aliquo scripto, ac
lectionem alliciendi: me authore etiam mi-
nus bono scripto id tentaveris, non modò si-
ne reprehensione justa, sed etiam cum laud
aliqua. Neque enim verè dici possis actum
agere. Sunt etiam quæ inculcari ad impor-
tunitatem

tunitatem vsq; expediat, quo in genere si quid non prorsus invita (quod aiunt) Minerua aggressus fueris: iure tibi laus debeatur aliqua, pertinere autem huc videntur exhortationes ad pietatem, ad officium, & vitiorum reprehensiones, at quæstionum dogmatumq; tractationes aliam habere rationem videntur, vt non nisi elaboratissimus gratiam invenire possit,

Scriptus & à tergo nec dum finitus Orestes.

Istis porro atque alijs id genus omnibus perpensis: si fuerit aliquid in quod vtilem conferre posse operam videare: expectandos qui tibi stimulos addant, non existimo. An vero non satis magnus esse debet stimulus bono cuique publicæ vtilitatis ratio? Quin immo ne expectari quidē velim, dum tale argumentum offerret sese: verum studiose inquiri, ac periculum fieri, Latissimè si quidem patet diuinarum rerum (vt intra hos me fines contineam) tractatio, argumenta sunt multa & varia: fines tractationū diuersi. Est enim doctrina de fide, de moribus, de ceremonijs, de politia: collapsa erant omnia, nihil non occuparant tenebræ. Hic igitur vehemēter vtilis fuerit inquisitio: satis ne ad vnguem restituta in integrū omnia fuerint: an vero sit adhuc reliquiarum aliquid veterum errorum, & quid. Cuius diligentiæ

gentiæ non aliam equidem existimem esse rationem: atque eam ipsam qua hactenus tot, tantæque ac tam densæ fugatæ sunt tenebræ: si ad ipsam diuinæ vocis normam exigantur omnia, non aliter quam si nihil non suspectum habeas, ne quidem syllabam. Huiusmodi autem inquisitionis si nullus alius sit fructus: hic certè maximus fuerit: exploratum semel habere errorum in ecclesia nihil prorsus esse reliquum, atq; id assequi, nisi qua diximus ad inquirendum via ingressus nunquam poteris. Constat etiam cum aliis agendum esse: ad quos respectum habere, atq; inde tractandi rationem ducere videtur oportere, nam & rudibus suæ quædam tribuendæ sunt scriptiones: aliæ verò eruditis, quorum hi quidem totos se diuinis tradiderunt: illi alia colunt studia. Atq; hi rursus omnes partim sua sponte sequuntur docentem: partim reluctantur: vt sit eis vis inferenda, pleriq; errore ducti resistunt: nonnulli affectionibus, aut rationibus nescio quibus seruientes. Sunt autem diuinorum librorum interpretationes, explicationes, paraphrases: sunt vniuersæ doctrinæ, atq; etiam singularum quęstionum tractationes: sunt exhortationes, oriuntur errores noui in ecclesia, & quasi reuiuiscunt veteres: vt sint profligādi, irrepunt praui mores modo in populum v-

niuersum

niuersum, modò in pastores, modò in hoc, modò in illud hominum genus: qui oratione castigandi sunt: alias blandè, alias seueritate adhibita: prout res tempusque postulare videatur. In summa tot sunt scriptionum genera quibus opus habet ecclesia: vt enumerari omnia vix, ac ne vix quidem possint. Ita autem facillimè quid te aggredi potissimum expediat, intelliges: si scriptionum genera hęc animo repetens, & in singulis subsistens nonnihil, quæ in quoq; inesse oporteat, hoc est, qui rerũ delectus, quæ tractandi ratio, quæ prudentia, quod artificium expẽderis, tum autem videndum erit, quid extet: quid desiderari posse videatur. De vno genere si dixero: promptum erit quid de omnibus velim intelligere. Quædam sunt scripta quibus errantes nobisque aduersarios ad veri conamur agnitionem pertrahere, primum itaq; illud cetum est: qualibuscunque tandem rationibus vtare, qui eas non expẽderint, apud eos nihil habituras ponderis, perturbatum autem animum siue ira, siue odio, ad rationum momenta recte expendendum idoneum nequaquam esse. Quæcunq; igitur iram aut odium mouere possunt, cauenda omnino sunt, quæ vero ad emolliendos animos pertinent, studiose adhibenda. Ex quo intelligitur criminationis atque con-

vitij

vitij genus omne instituto esse maximè adversarium, illud etiam irritare adversarium solet mirum in modum: si videri velis in cõtroversia esse quæ non sint: vt si tribuas ei quæ neq; dicit, neq; sentit, id quod accidere sæpe solet: quum quod ex illius dicto quopiam, quamlibet rectè, colligimus: id eum dicere asserimus: vt cum dicimus Pontificios Papam pro suo deo colere, aut plus Papæ quam Deo credere. Atq; illud eo pertinetetiam si vt amplior sit redarguendi copia aliter eorum interpretemur verba, quam ipsi velint, sed & si erroris magnitudinem turpitudinemq; intempestiuè exaggeres: quo minus agnoscere errorem possit, efficeris: atque ita infensum, pertinacemq; reddideris, præstiterit ergo excusare potius initio: re autem demonstrata, si tam apertis ac certis rationibus admonitum non resipiscere turpe supra modum fore ostendas, ab re non fuerit. Quoniamque scripti eiusmodi duæ præcipuæ sunt partes: vna, vt adversariorum argumenta refellas: altera vt tua confirmes, illaque aut nulla sunt, aut falsa, aut infirma: cavendum est ne confutandi confundatur ratio: dandaque opera vt aduersarios quamminimè offendamus, itaque argumentum nullum si fuerit, neque videatur esse: non intelligere te dices quid eo efficiatur, simili

addita

addita ratiocinatione cuius constet falsam esse conclusionem, si videatur, nec sit, non protinus fallacias, ac dolos clamabimus: sed commoda solutione modestè vtemur, si falsum: non insultabimus odiosè: sed satis fuerit testimonia comiter requirere, si infirmum erit: fatebimur coniecturam aliquam afferri: sed multo esse certiora argumenta contrariam in partem ostendemus. Sunt enim qui egregiæ suas se tueri partes arbitrãtur: si nullum aduersarij verbum reprehensione carere vel grauissima passi fuerint, atque ita consequuntur, nimiũ videndo prorsus nihil vt videant, quoniamque persuasionis (inveteratæ præsertim) incredibilis quædam vis est: illud pro certo est statuendum: nisi firmissima quæque intulerimus, eademq; maximè perspicua fecerimus: inanem operam nostram omnem futuram, in quo dupliciter peccatur: aut enim non satis certa notaque ad nostra confirmandum sumimus: aut ex ijs quæ sumuntur, non satis apparet effici id quod volumus, itaque & demonstrandi initium à rebus adeo firmis perspicuisq; vt negare ea aduersarius non possit, faciendum est: & ita coniungi cum re quæ in controversiam venerit oportet: vt appertissimè appareat, ijs potius & hanc sequi necessario, quoniamque omnino plus

virium

virium est in vna firma solidaq; demonstratione: quàm in sexcentis probabilibus argumentationibus: nolim scriptorem curare admodum, quam multis argumentis oppugnaret adversarium, sed quam validis, malimque idem telum si valde sit acutum alia videlicet atque alia verborum forma (quod commodè ingeniosa oratorum arte fit) vibrari: quàm magno numero somnum ne quid aliud dicam, induci. Explicanda vero sunt omnia quanta maxima fieri potest perspicuitate.

Hoc ergo in genere si explorare libeat relictum nec ne sit quod agas: id ego hoc faciendum ratione putem: requiritur prudentia in rebus sic tractandis, vt adversariorum animum emollias potius, quam vt magis ac magis exacerbes; in quonam igitur ex omni scriptorum numero eiusmodi elucet prudentia? In M. Tullio nimirum ac Demosthene, quibus sæpe magnorum virorum atque ipsius populi confutandæ sententiæ fuerunt quorum tamen animos à se alienatos minimè volebant, qua igitur dexteritate illi vsi sunt (& si in rebus valde iliis quidem diversis) vide an eam imitati fuerint istis in controversijs nostri. Quanquam si Pauli observes ea in re lenitatem: alios ad imitandū vt tibi proponas, nihil opus fuerit, pūgit

ille

ille quidem nonnunquam: sed mox vulnus ita oblinit: vt reprehenso talem castigationem inuidere possis: ad captandam autem summam benevolentiam nedum offensionem omnem declinandam efficacius fieri posse videatur nihil, sed genus hoc prudentiæ non tam industria imitari, quam nunquam intermissis precibus à Deo impetrari oportet: quippe cuius vna sit magistra divina quædam charitas. Requiritur etiam maximum atque adeo violentum quoddam argumentorum robur? In quibus ergo eiusmodi cernitur maximè? Certè si res ipsas spectes, in Mathematicis: si rationem, argumenta ipsa validissimè torquendi, in oratoribus eisdem. Age igitur, confer cum Mathematicis nostros, illos videas suas demonstrationes à pronuntiatis tam certis atque notis exordiri: vt imperium audire pudeat, tum autem ea tali contexunt ordine: vt neque medium vllum transiliant: neque ignotiori priorem vnquam locum tribuant, itaque fit vt tam prostremis assensum accommodare quam primis necesse habeas, nostri neque exoriuntur sæpe vnde oportebat: & ita media transiliunt: vt quo pacto posteriora cum primis cohæreant: non facilè appareat, quo fit plerunq; vt assensum non nisi à suis extorqueant, sæpe etiam quæ firmis-

sima

sima habent suæ causæ adiumenta: ea innue-
re potius videntur, quàm explicare. Orato-
res illi contrà: in quibus multũ spei habent:
in ijs diu commorantur, atque ad ea in audi-
entium animis penitus infigendum nihil
sibi reliqui faciunt, sic perspicuitas ad earum
exigenda est tractationum exemplum, quæ
maximam vnquam sunt adeptæ. Ac ne ab-
surdè videamus sacris in rebus demonstra-
tiones quales Mathematicorum sunt requi-
rere: quid velimus planius faciendum est,
equidem initia alia ne optanda quidem exi-
stimo: quam certissimam primum diuino-
rum librorum fidem: proximè autem loca
illa quorum adeo aperta atque simplex sit
interpretatio: vt de ea nulla oriri possit con-
trouersia. Sed neque sanus opinor quisquam
duo illa reiecerit disciplinarum omnium cõ-
munia: Vnumquodq; aut esse aut non esse:
nihil simul esse & non esse: quæq; necessario
ex ijs sequuntur, vt pugnantibus inter se in-
terpretationibus locus esse nunquam possit.
Quod si alioqui vt demonstrationes nostræ
ab ijs quæ suo in genere maximè sint certa
atq; perspicua initium ducant, nulloq; præ-
termisso medio, neq; turbato ordine ad id
quod agitur perveniant contendimus: quis
nisi maximè iniquus atque planè stupidus
æstimator reprehenderit? Hoc igitur pacto
excutienda

excutienda esse scriptorum genera singula existimo: videndumq; (vt dixi) quid in quoque præstitum hactenus fuerit: quid nostræ posterorumq; relictum industriæ: ac demum cogitandnm: quid tibi de te polliceri habeas, quod si diligenter feceris: non deerit (mihi crede) in quo maximo cum fructu tuam ponas operam. At summa omnia in quoq; genere cum requiras: quis præstare se posse speret? Inquies. Quid? An aliud sibi proponerit sagitarius quo collinearet: quam medium scopum? Aliud est enim quid coneris statuere: aliud, quantulumcunq; consequi potueris, vtrum evulgandum illud sit, deliberare, illic enim nisi tibi absolutissimum quod sit, proposueris: ne illud quidem quod potuisses, assequere, hic non tam quantum à profecto procul absis videndum est: quam quantum remp. tua scriptione iuveris: vt si res cognitu valdè vtilis fuerit, tuque multo meliorem in eam quam quisquam alius operam collocaueris: aut cum nemo attigerit antè: tu primus lucis aliquid attuleris: tametsi enim multa desiderentur adhuc, quæ vires tuas forte superent: nisi tamen exire in publicum patiare: animi fuerit (me quidem iudice) nimium aut timidi, aut elati: sed certe reip. non nimium amantis. Tantum illud canendum est: ne, cum maiora forte

possis: ideo non præstes: quòd conatus non fueris: sed imprimis Deo authore tentanda omnia sunt, ab illo & consilium, & successus incessanter est petendus, sine quo certum est futurum: vt quo plurimum prodesse ecclesiæ sperauerimus: eo turbaturi eam simus maximè. Cæterum necessaria est omninò in aggrediendo magna quædam, sed minimè illa tamen præceptis audacia: vt summa omnia tibi proponas: nihilque prætermittas, quantum facere, enitique possis, quin tandem assequare, in quo Zeuxis memorabilis imitanda est industria: qui Crotoniatis Helenam forma vndequaque perfectissima effecturus, cum non omnia ex quibus constaret excellens illa quam quærebat muliebris pulchritudinis forma, in vno se reperire posse corpore speraret: quinque formosissimas delegit virgines: vt quod in quaque excelleret maximè, id ipse in suum transferre exemplar conaretur, atque ita opus perfecit omni laude maius. Idem ego lucubrantibus aliquid faciendum censeo: vt quæ in quoque scriptore maximè laudentur: ea sibi ad imitandum audacter proponant, req; semel ad calcem producta, videndum est quid assecutus fueris: quid desijt: quid etiã corrigere te posse speres, atq; id tentandum

est

est pluries, interposito præsertim à prima scriptione tempore aliquo: vt quasi non iam tua, sed aliena perlegentis iudicio vti liceat saniore, existunt tamen eiusmodi etiam quædam ingenia: vt quantumcunq; possunt, id prima quaque scriptione assequantur: quæ quo magis expolire deinde opus conantur: eo rudius reddunt, vt dicere possis horum limam opus facere mallei, maleumque limæ. Sunt autem id genus homines mirè prompti: sed iudicij expertes: verborum redundant copia: vt quis vno pede stans (quēadmodum de se iocatur quidam, quem tamen vel hoc ipso, quod de suis scriptis rectè iudicet, horum in numero non pono) tres conflaturus sit libellos: sed quam succi plenos, noli quærere. Huic hominum generi quæ præcepta dem, equidem non habeo, nam cum iudicio careant: præceptis cum iudicio vti nunquam poterunt, cui vero iudicij inest aliquid: eum à lambendo suo fœtu desistere nimis cito nolim. Suadeo etiam vt amicos consulas: sed ita, vt haud plurimum tamen in ijs positum spei habeas, ferè enim aut verentur ne offendant sincere monitum: aut raptim ita percurrunt: vt quæ nota digna sint, animadvertere non satis possint. Ad extremum tua deposita & iudicis sumpta persona, sed eius qui ad vnam Dei glo-

riam ſenſumque ſuas omnes conferat cogitationes, expendendum eſt etiam atque etiam: tantus ne fore videatur operis (ſi exeat) fructus, quale illudcunque tandem fuerit: vt quod tempus eius dandum lectioni erit, non melius collocaturi plerique ſint. in quo illa erunt cogitanda: hinc quidem quid complectatur libet, & quam bene: & quanti ea res ſit: illinc autem quæ ferè ſint in manibus, & quam multa. Hæc omnia ſi ſpectarentur: & ſi demum ſubduceretur ad hunc modum ratio: primum quidem multi nihil ederent, deinde etiam quidam haudquaquam librorum montes neſcio quos molirentur, atque ita pro tam multis libris pauciores quidem, ſed multis partibus pretioſiores haberemus. Volumus omnes omnia vtinam ſatis bene ſinguli ſingula aut certè pauca poſſemus, ſed quorſum hæc tam multa? Scilicet vt plane intelligeremus quatenus tibi ſim author, & vt ſcribas: & vt evulges, equidem non dubito (quo es ingenio, atq; vt es ab optimarum diſciplinarum cognitione inſtructus) quin ſi vires intenderis præclarum aliquid elaboraturus ſis. Pauca conare: ſed vt perficias, ad nimis mu ta, ſi ſapis, animum non adijcies. De tuo Euangelico præcone: locus eſt haud ita à multis pertractatus, nec ſcio à quo tam luculenter,

ac

ac plenè: vt non arbitrer tui lectioni perhonestum locum relictum, atque eiusmodi est etiam: vt oportune, importune, inculcari eum identidem oporteat, quare interfuisse ecclesiæ illium edi, nihil equidē dubito, quod vnum ego iudicare possum. Cæterum potueris ne, si summum adhibuisses conatum absolutiorem emittere: id (vt ego quidem sentio) tui est vnius cognoscere, & si quî potuisset oratio in eruditorum hominum cœtu habita, multis (vt fit) flagitantibus amicis deberi, vt lima ne desiderari quidem iure videatur.

Sed quòd me, quod in alium statuerim iure vt vtar, quasi pilam scitissimè tu quidē retorquens, mones: id veto est eiusmodi: vt æquius fieri posse videatur nihil. Itaque nostri viciſſim otij reddenda tibi ratio fuerit aliqua. Post illud tempus quo excidit nobis inchoatum illud de methodo opusculum, scis me bis sedem ac locum mutasse. Argentoratum primo deinde in Angliam: vbi adeo frequentes incidunt mihi à studijs auocationes: vt quantum promoueam profecto pœniteat. Causæ ferè leues sunt: sed quibus non parere non possum, interim tamen conscriptam iandudum à nobis nostrate lingua muniendorum oppidorum artem latinam fecimus. Sed versio novum pene o-

pus fuit, quæ mihi ſcriptio nequaquam facilis extitit, qui primus (quod ſciam) hanc rationem arte complecti auſus fuerim, mitto difficultatem noua inventa latinis verbis exprimendi, homini præſertim qui bona vitæ parte inter Bartoli, Baldi, & eius ferinæ hominum ſordes conſumpta, multiſque annis aulicæ vitæ, ſed minimè tamen otioſæ datis, ſerò admodum ad politiores muſas acceſſerit. Quod addam operi iam non habeo, ſed quominus edam cauſis impedior quibuſdam, quas commemorare hic nihil eſt opus. Vt autem, quicquid eſt operæ id iſtam in artem conferrem: ex parte priuatis ſum rationibus adductus, etenim in hoc voluntario meo exilio inopiam vtcunq; ſublevat: & otij ad alia ſtudia ſuppeditat nonnihil, impetrato mihi ab huius ſapientiſſimæ atq; optimæ Reginæ liberalitate honeſto ſtipendio. Tandem etiam animum ad perficiendam vel potius de nouo inchoandam ſuſceptam olim de Dialectica ſcriptionem adieci, rem ſane difficilem ac faſtidij plenam: ſed tamen ni fallor vehementer neceſſariam, videtur enim quæ adhuc extat vtilitates nequaquam præſtare tantas, quantas & pollicetur: & præſtare videtur poſſe: ſi tandem aliquando, veram eius aſpicere effigiem ſuũ illud exẽplar quod ipſa in natura eſt impreſ-

ſum

sum ad vium referentem licuerit. Quanquam autem minimè prolixa futura est scriptio, multo tamen opus habet tempore: tum propter rei difficultatem: tum etiam propter eas quas mihi ipse indixi leges. Video quid susceperim: rem videlicet à sexcentis tractatam, vt nisi conspicuus extiterit laboris nostri fructus: nemini non stomachum tanquam sæpe recocta crambe moturi simus. Intelligo etiam me in seculum incidisse cultum præter modum, nec tam certè vereor tam eorum qui regnare nunc videntur iudicia: quam exorientem quandam seculi adhuc paulo cultioris lucem pertimesco, etsi enim multos habuit habetque ætas nostra viros præstantes: adhuc tamen videre videor nescio quid magis futurum. Vt alia præteream: stupore affecerunt me non ita pridem Dialogi decem de historia, & nuperrime totidem de Rhetorica nostrate lingua â Francisco Patritio homine (vt audio) Dalmata conscripti. Quid quæris? Nihil hercle est propius quam vt omnes iam Platones atque Aristoteles contemnam, acumen est incredibile: iudicium politissimum, lepore ita condit omnia: vt satietatem afferre prolixitas nulla posse videatur, magna audet: sed ita præstat, vt si multo maiora polliceatur facile sit fidem habiturus. Accedit ad isti-

us adeo præstantis ingenij summam commendationem: quod amplissimos suos thesauros neque tegere avare, neque ostentare ambitiosè: sed liberalissimè, modestissimeque expositos communibus omnium bonorum ingeniorum commodis velle videatur, adeo aperto ac perspicuo vtitur docendi genere. Equidem serio dico: ex ijs quæ videre licuit, ita conijcio: effecturum eum, si vixerit aliquandiu (vix enim virilem ingressus est ætatem) vt quod invideat seculum nostrum antiquitati ingeniorum quidem præstantia habiturum non sit, eriget mihi credo in spem suo exemplo multorum animos, fore vt si graviter contenderint, multo pleniorem firmioremq; assequantur rerum quarumlibet cognitionem, quam posse iam quisquam videbatur, quin etiam (nisi ego male ex vngue leonem) expeditissimam ad id monstrabit viam, demumque multa post secula intermissum disputandi genus quoddam revocabit & subtile prætermodum, & accuratum, quod si acciderit: equidem multorum librorum vitæ qui nunc magno sunt in pretio timeo vehementer. Neq; tamen nō intelligo fore vt de Patritij toto disputandi genere plerique longè aliter iudicent, ac nos facimus: & pueriles tantum argutiolas esse cavillentur. Sed ij quod telum in Patritium iecerint

jecerint: eodem sciant se per ejus latus Platonem, cui is se quam simillimum esse voluit, sauciaturos. Non enim si puerum refert Patritius, dum fortè prolixius inquirit quid sit historia: tueri Plato nomen suum potest: qui haud minus prolixe definitionem & sophistæ, & regis investigat. Nam si quid interest inter hunc & illum, hoc interest: quòd Plato persæpe eum quem redarguit, respondere facit: quomodo nemo nisi valde ineptus responderit. Patritius ea tantùm refellit: quę etiam mediocri quodam acumine prudentiaque præditis excidere potuerint. Ex quo, si non alius, hic certe maximus percipi fructus potest, quod sic palàm fiat: quantis in tenebris versari necesse sit eos qui omnibus in rebus tantùm pingui quadam vtendum putant Minerua. Deinde Plato sub Socratis persona tantum redarguit: vix vnquam astruere quicquam videtur. Patritius falsas destruit opiniones, vt sustituat stabiliatque veras. Idq; facit vsque adeò accurate: vt ne impudẽtissimo quidem callidissimoq; sophistę vllum dicturus sis relictum cauillandi locum. Puerile autẽ si quis appellare illud disputandi genus velit: quod imitari, ne si maximo quidem conatu enitatur, valeat: quoque efficacissime debelletur error, asseratur veritas: eam ego vocem audacter non pueri solùm

lûm, sed planè dementis, aut certè vehementer maligni esse hominis dixerim. Hæc igitur me ratio multò cunctantiorem videlicet in scribendo facit: ne edam aliquando: cujus me statim pœniteat. Sed opus tamen sic vrgeo: vt nullam diem abire patiar sine linea. Cæterum quid pollicear nondum habeo, vt nunc quidem est: nobis ac Musis canimus. Quòd si quid assecuti esse videbimur. Non invidebimus vtilitati publicæ. Illud exploratum habeo: saltem certè mihi conatum hunc supra modum vtilem futurum.

Habes mi Wolfi adeo verbosam epistolam: vt posthac nihil minus imperaturum te mihi suspicer, quàm prolixitatem. Res autem attigi eiusmodi, quæ justum potius volumen quàm epistolam requirerent. Itaque vel hinc satis futurum est materiæ de qua sæpe inter nos per literas colloquamur. Interim me, quod facis, ama. Ioannem Frisium quæso, & Iosiam Simlerum saluta meis verbis diligenter: quos ego viros propter summam humanitatem ingeniiq; & doctrinæ elegantiam, plurimi facio. Vale.

Londini XI I Kal. Decemb.

MD. LXII.

INDEX RERVM
præcipuarum quæ singulis Libris continentur.

Lib. I.

Non disputant homines hodiè sed rixantur, digladiantur, fervidè, maledicè. p. 18
In controversiis tractandis summa lenitas ac mansuetudo necessaria. 26
Nonnulla scimus in sacris Scripturis, plura opinamur, 33
Divino verbo soli, spiritui, precibus insistendum. 35
A curiosis quæstionibus abstine, sectare utiles, quales, quæq́, utræq́. 44

Lib. II.

In magni momenti controversiis æstus Satanæ. 56
Ad odia, arrogantiam, convitia stimulat, 57
Erroris author tractandus leniter & amicè. 61
In obiurgationibus absit acerbitas omnis. 70
Seductor quo pacto sanandus. 73
Argumentis ad hominem & rem idoneis. 77
Sed id semper age vt vincat (non tua opinatio sed veritas. 85
Disputationem ingressurus superbiam pelle, indue modestiam. 91

Lib.

Lib. III.

Authoritate, & primò Ecclesiæ. 101
Cavendum autem ne temerè damnetur sive dogma sive homo. ib. & 142
Distinguenda sedulò capita fidei, necessaria & certa, à controversiis. 102
Dogmata ritè & cum iudicio ponderanda. 106
Et trutina hic vtere soli Dei verbo. ib.
De cognitu creditúq; neeessariis. 109. & 116
De ijs quæ ex principijs consequuntur. 112
In cæteris concordiam fraternam cole. 131
Secundo, magistratus. 145
Controversia religionis, an gladio dirimendæ, aut accersendus carnifex ad errantes. 146
Parabola de zizanijs excutitur. 151
Cerè telum vnum vnicumq; confodiendis hæresibus, Dei verbum. 170
Non sit magistratus minister alienæ libidinis seu furoris. 171
Palinodiæ suppliciorum metu non extorquendæ. 176

Lib. IV.

Depravatur nonnunquam doctrina, nemine animadvertente. 180
Causa mutationis illius partim in doctrina ipsa, partim in mutationis modo quæ paulatim sensimq; fit, sine sensu. 182

Aliquando

Aliquando in ijs qui docent ob magnam eruditionis & sanctitatis famam. 191
Aliquando eorum qui docentur in curia sive inscitia. 197
Cautiones ad puritatem doctrinæ conservandam. 200
Ipsis scripturæ verbis phasibusq3 anxiæ inhærendum. ib.
Libertas prophetandi modesta & moderata huic rei vtilissima. 203
Sed absit contendendi libido, verecundè modesteq3 agire oportet. 210
Conciliorum authoritas, an summa, irrefragabilis. 213

Lib. V.

Sanctimoniæ fingendæ artificia. 222
Quidam vt se sanctos simulent rigidè tetriceq3 alios censent, damnantq3. 227
Pleriq3 ipsi sibi vana pietatis specie illudunt. 237
Quum summi viri multoties hic fallunt se, suū causam agunt quum Dei se agere putant. 240
Adeo effervescunt, si quis sibi ausit contradicere. 7. ibib.
Ad convitia promptissimi, in iis facundi. 244
Ficta plurimorum in Deum fiducia, ac etiam gratitudo. 256

Suo

Suo acumini, ingenio, laboribus, magis quàm Deo fidunt. 260
Qui fit vt scientes prudentesq; multi peccent. 274
Conservandæ morum puritati vtilis Ecclesiastica censura. 278
Sed in ea exercenda multæ fraudes impuri ingenii. 279
Pœnitentia publica nec necessaria, nec vtilis. 281

Lib. VI.

Opinionum de religione modesta libertas regno Satanæ inprimis adversatur. 225
Satagit is vt tollat omne veri inquirendi desiderium. 294
Præcipuè vt reijciat populus sacrorum curam & lectionem in pastores. 297
Mos, scripta vel authores citandi improbandus & periculosus. 304
Quibus artibus firmet Satan in animis vulgi errores. 308
Indicia falsa & fallacia religionis veræ falsæve. 313
Qui Ecclesiæ præsunt quomodo irritentur in veritatis professores. 318
Et qui reipublicæ. 319
Confessionum, quæ à singulis exiguntur incommoda multa & magna. 323

Lib. VII.

Ne eyciantur errores, ne intret veritas quo pacto conetur Satanas. 331

Ne sint vlli qui doceant, calumniis tales aggreditur. 336

Tum suppliciis metum incutit, aut spem alit, allicit q; præmiis. 344

Quæ omnia facilè contemnet vir sanctus. 345

Sed id agit maximoperè, vt populum in receptis erroribus obstinatum reddat. 348

Monita salubria iis qui veritatem propagare cupiunt. 356

Ne se mutuo maledictis conficiant, 362

De publicis Ecclesiarum confessionibus quid sentiendum. 364

Optandum fidei symbolum commune & quale. 366

Formula talis symboli ex authoris mente. 373

Lib. VIII.

Satan versatissimus, indefessus insidiator, dolos suos æstu colit. 391

Nunquam non mali aliquid molitur apertè vel subdolè. 396

Pietatis speciem larvam q; sæpe induit. 398

Quo fuco sanctissimis viris nonnunquam imponit. 401

Ita vt imprudentes Satanæ aliquando suam locent

locent operam. 403
Eminentes præcipue aut vero crimine maculat, aut calumniis. 405
Occasiones rei suæ undequaq; arripit. 407
Summum autem veteratoris huius studium, lites serere ac dissidia. 411
Excutienda ergo securitas, arma induenda contra hostem tam vafrum, tã varium. 417

FINIS.

12/6